OCTAUII FERRARII ELECTORUM LIBRI DUO ACCESSERUNT EPISTOLAE & INSCRIPTIONES

Ottavio Ferrari

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
34 O
10
ROMA
H
6-4. E. 41.
Digitized by Google

6. E. 32

Digitized by Google

Digitized by Google

8.34.0.10

OCTAVII FERRARII ELECTORVM LIBRI DVO

Acceſſerunt Epiſtolæ & Inſcriptiones.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA



PATAVII, MDCLXXIX.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

SVPERIORVM PERMISSV. 7

Digitized by Google

AMPLISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

SENATORI

LEONARDO PISAVRO D. M. PROCVRATORI.

Octauius Ferrarius Felicitatem.

QVod laurigeros penates tuos iterum ſubire, & conſcios fatorum tripodes denuo mouere audeam, atque ipſis ſapientiæ penetralibus, non meditatum carmen, ſed umbratiles ineptias, ad ſummam caueam ſpectantes, atque obſoletas antiquitatis reliquias, literarum ſenium, inferre, facilitati tuæ, ſumme virorum, in mea culpa ignoſces. Quæ non ſolum huc ſe demittere e tanto culmine, ſed venerantium vota perlicere conſueuit. Et quamuis mens tua ſublimis, & celſo nomine grandius ingenium, grauiſſimis occupationibus tuis obſtrepere aulos, alias abſterrere poſſet, ac veluti propha-

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Digitized by Google

nos ſubmouere, nulla nunc inuidia fuerit, tibi Gymnaſij habenas moderanti, & condito ſtudiorum luſtro, ingeniorum cenſum accipienti, induſtriam, & qualeſcunque labores approbare.

Hoc mihi cum ceteris commune votum eſt, qui te magis, quam fortunam tuam venerantur, quæ cum maxima ſit, animum æquare tuum non poteſt. Priuatim ipſe ſuper tot alia indulgentiæ exempla, recenti beneficio obſtrictus, tutelæ tuæ munus, atque opus feror. Nam cum fatalis quidam error mihi cariſſimos alienaſſet, tu illico omnes incommodas offenſiones, & irarum incitamenta ſuſtuliſti: cumque res forum, ac Iudicia ſpectare cępiſſet, contra ambitum, & gratiam ſponte id præſtitiſti, quod fieri poſſe nemo crediſſet, & antea ab ullo ne tentatum quidem, conſtaret. Ita totus ille turbo, noctem, hiememque ferens, ſidere tuo deſęuiit: ego ingenti cura leuatus, licet omnia præſtem, nunquam ſatis gratus eſſe potero, etiam ſi vitæ, & ſanguinis quod ſupereſt, deuoueam; magis à quo, quam quid acceperim cogitans, & nullis quidem precibus emptum.

Nam in laudes tuas, olim parce, & tenuiter delibatas excurrere, verecundia obſtat, ne illas ſermonis inopia deteram, & ne moderationi tuæ, atq; auribus grauis ſim, quæ cum gratulantium vocibus, magno ingeniorum certamine perſonent, mauis tu laudanda facere, quam audire. Et tamen audire tibi neceſſe eſt, indolem iſtam, ab alto ſanguine, & principe domo hauſtam, paſſim prędicantes, fortunæ principali parem, & olim publicis votis ſuffecturam, lætiſſimam faciem, & amabilem vultum, animique altitudinem omni affectione, aut inta-

ctam,

ctam, aut maiorem, nec rebus ſecundis elatam, neque aduerſis fractam. Denique patriam tecum iam pridem certantem, ut illa ætatem tuam honoribus anteiret, tu rebus gerendis honores præcurreres.

Nam difficillimo belloaduerſus publicos hoſtes, adoleſcens Trierarchus deſignatus, cum hoc exerendæ virtutis tyrocinium auide arripuiſſes, Vicetiæ Præfectura tibi delata eſt: credo, ne tantam ſpem incerta maris, & caſuum interciperent. Exiguum dignationis rudimentum, cum quinque & viginti annis minor D. Marci Procurator renuntiatus es, qui honos ſummo faſtigio proximus, honorum omnium complementum, ſeſſæque honoribus ſenectutis decus, & ſolatium eſt.

Inde aucta ſolertiæ atque integritatis fama, intra eandem iuventam, tibi publicæ pecuniæ, in belli ſumptus erogandæ, procuratio, & cuſtodia credita eſt: res lubrica, & anceps, cuius illecebræ etiam conſtantia pectora concutere ſoent. Quas tu rationes ea fide adminiſtraſti, quaſi alienas, ea diligentia, quaſi tuas, ea religione, quaſi ſacras.

Sic tu omnes honorum gradus, præmature, & celeriter emenſus, nil ſupra te niſi principatum reliquiſti, qui in patruo, & proſocero fulgentiſſimus, & vix optimo cuique æmulandus, te maioribus auſpiciis iturum omen erat.

Cetera in eandem ſpem, & fortunam. Animi vigor rerum omnium capaciſſimus, & conſiliorum altitudine ingentibus negotiis par, ac patriæ utilitatibus perpetuo excubans. Nouo vectigali, ad exterorum Principum exemplum, inducto, ſine populorum onere, & gemitu:

eorum modo diſpendio, & mulcta, qui olido fumo, & Indicæ herbæ cinere, nam ne Italis quidem vitiis laboramus, naribus lenocinantes, inurbanè ſternuendo, & oſcitando, iners otium, fœde occupati, oblectant. Tam late, etiam extra vulgus, ſerpente laſciuia, ut ex nebula, atque exotico puluere, blanda exſtillantis cerebri peſte, graue auri pondus, ſine cuiuſquam iniuria cogatur, quantum vix ex decumis, & portoriis in ærarium redundat.

Iam vero ſplendor, & magnificentia omnium in ſe ora conuertit, tot publicis, ac priuatis operibus, quibus Vrbem illuminaſti, teſtata. Quorum duo, ſicut cetera eiuſdem Vrbis miracula ſupergrediuntur, patrui Principis Conditorium, & auita domus, lento molimine ſe Cœlo inferens, templorum faſtigium exceſſura: ita inter ſe contendunt, & incertum relinquunt, utrum fato functis, an viuentibus nobilius domicilium proſpexeris: utrumque ſenii, mortiſque expers, in poſterorum admiratione, in temporum æternitate perennaturum.

Sed omnium vota, menteſque in expectationem Legationis erectæ ſunt, qua ad Innocentium Vndecimum, Comitiorum prærogatiua, deſtinatus es, ut ad mortalium, & Pontificum Maximum, ſummus ciuium, unicæ Reip. obſequium, & effuſæ gratulationis gaudia deferres, eo conſpectius, quod Collegæ, flos Senatus, & virorum ſpectatiſſimi erant.

Ita perfunctus honoribus ampliſſimis, cum nihil gloriæ, & dignationi adſtrui poſſe videatur, plura polliceris. Et ne unius æui ſpes iſta ſit, quatuor liberos patriæ numeras, pietate in patriam tecum, cum ceteris modeſtia,

ſtia,

ſtia, & æqui rectique ſtudio, certantes. Qui præmatura indole, ut magnæ animæ feſtinantur, cruda adhuc iuventa, magnarum arcium cuſtodię, atque Vrbium regimini impoſiti, hoc honorum rudimento, quantęcunque fortunę capaces, iam tum pręſtant, ut paternus fulgor non magnum momentum, ad ſauorem conciliandum futurus ſit: & ſe vinci pater non inuitus audiat, cuius beneficium eſt, quod vincitur.

Hęc omnia tibi publica res debet, literaria funeſtis temporibus, ſe totam. Cum liberalibus diſciplinis non innutritus tantum, ſed innatus, Gymnaſij gubernaculis admotus, illud clariſſimis luminibus, intra breue ſpatium, orbatum, & ſpoliatum, acerbiſsimo ſenſu vidiſti: fatorum inuidia, octo funeribus in Libitinę cenſum relatis. Quodque malorum extremum, geminos collegas tuos, totidem ſidera, eodem turbine atra dies, inexpiabili clade, abſtulerat. Vt diu tu ſolus clauo affixus, & hęrens, oculoſque ſub aſtra tenens, diram, ac prope ſupremam tempeſtatem, ingentis animi robore, & conſilii pręſtantia, auerteres.

Sed quò me lętorum, ac triſtium reputatio rapit immemorem, coram Cenſore epiſtolam breuiorem, & aduerſus magiſtrum morum modeſtiorem eſſe oportere? Sit igitur votorum ſumma, ut tuo & Collegarum opere Cenſorio, noua pręſtantium ingeniorum fœtura, nouaque contracto quod uſquam egregium eſt, lectione ſuppletus literarius Senatus à ſolitudine vindicetur, atque depulſo orbitatis metu, palam fiat, Doctores mortales eſſe, Academiam cum publica libertate ęternam. Vale. Patauij Nonis Martij MDCLXXIX.

IN-

BIBLIOTECA ... ROMA

INDEX CAPITVM.

Cap. I. Quomodo nauis ſolutilis inſidias Agrippina euaſerit. Tacitus correctus, & explicatus. Pag. 1
II. De Labaro, & unde dictum. Item unde Labrata. 4
III. De Vexillarijs Legionum. Tacitus explicatus. 8
IV. De Signis Cohortium. 13
V. De Equuleo, & quale tormenti genus fuerit. 14
VI. De Compede, fidiculis, & ungulis. 20
VII. Petronius Arbiter aliquot locis reſtitutus, & explicatus. 24
VII. Alia in Petronio explicata, & emendata. 26
VIII. Tacitus in Petronij morte narranda emendatus, & explicatus. 30
IX. Fumaria, ſiue fumi emiſſaria, vulgo Caminos, apud veteres in uſu fuiſſe, contra doctiſſimorum virorum opinionem, diſputatur. 32
X. An Imperator ſententiam in Senatu diceret. Tacitus non uno loco explicatus. 43
XI. De Faſcino triumphantium cuſtode. Plinius non ſemel explicatus. 46
XII. De Calidæ potu apud veteres Mercurialis ſententia exploſa. Correctus & explicatus Apuleius. 49
XIII. Qua fraude Britannicus à Nerone ſublatus. Tacitus illuſtratus. Nuperi inepta interpretatio reiecta. 53
XIV. Apuleius Mileſiorū libris illuſtratus & emendatus. 54
XV. Alia in Apuleio explicata, & emendata, vetuſque le-

ctio

Digitized by Google

ctio non ſemel reſtituta. 56
XVI. De Ludo talorum. 58
XVII. Quid ſit apud Virgilium. Quiſque ſuos patimur manes. 67
XVIII. Iuvenalis ſatyra IV. explicatus. 69
XIX. Ex primo Apuleij Mileſiorum libro quædam reſtituta, & explicata. 70
XIX. Alia eodem Apuleij libro emendata, & enarrata. 72
XX. De Cenſu Senatorio, & Equeſtri. Turnebi & Mazzonij opinio exploſa. 74
XXI. De Annulis. Si aurei Equitum modo fuerunt quomodo trimodia illa Carthaginem ab Annibale mitti potuerint. Plinij correctio tentata. Laertij Interpres notatus. 77
XXII. Interior, & exterior, quid apud ſcriptores ſignificet. Turnebi, & Lipsij ſententia expenſa. 82
XXIII. Interior Lecti ſponda. Intus accumbere. Catullus explicatus. 85
XXIV. Intus canere. Quomodo Ciceroni dicatur Verres, Aſpendium citharistam artificio ſuperaſſe. 88

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. De Tunica Chriſti Domini Inconſutili, & veſtimentorum eiuſdem diuiſione, ac ſortitione a militibus facta. Pag. 90
II. Bracarum uſum Hebræis, Græcis, ac Romanis incognitum fuiſſe. 93
III. Quid unguentum piſticum in Euangelio. Maldonati opinio expenſa. Plinius correctus. 99

Qui

IV. *Qui locus Chriſti Domini in extremæ cœnæ diſcubitũ fuerit. Sirmondi ſententia expenſa.* 103
V. *Cantare ad manum. Liuius explicatus.* 107
VI. *Lacedæmonius Orbis. Pytiſma. Iuvenalis antiqua lectio, eiuſque veteris interpretis explicatio aſſerta. Hirſutus Capella.* 110
VII. *Quid ſupplicium militare apud Senecam. Quid ſcrobes apud Tacitum quæſitum.* 114
VIII. *Scortum veſtitum. Sella meretricia. Iuvenalis explicatus.* 116
IX. *Facinus maioris abollæ apud eundem.* 118
X. *Satyra quinta. Iuvenalis explicatus & correctus.* 121
XI. *Saltatio Pantomimica. Mulierum Romanarum in id genus hominum inſania. Eius artificij exempla.* 122
XII. *Quid radere guttur ſit apud Iuvenalem. De barbæ raſura, & tonſura apud Romanos.* 131
XIII. *De Capillorum tonſura, præcipue in coronæ ſpeciem.* 133
XIV. *Alia in Iuvenale expenſa, & explicata.* 138
XV. *Peppyſma, Falæ, & Delphinorũ columnæ in Circo.* 139
XVI. *Aurea ſpira longo galero. Amicus cymbala pulſans. Iuvenalis explicatus.* 142
XVII. *Menſarum citrearum pretium. Plinij correctio expenſa. Idem explicatus, & emendatus.* 145
XVIII. *Quid eßent Repoſitoria, quæque eorum materia ac forma. Plinius, & Petronius explicati.* 152
XIX. *Pugnare ad digitum. Quintilianus explicatus.* 156
XX. *De faſcijs ſepulchralibus. Item de ſudario, ſiue ſanctæ ſindone Chriſti Domini. Salmaſij ſententia exploſa.* 159
XXI. *De crematione cadaueris apud Romanos: & quo pacto*

Digitized by Google

mortui cineres in urnam condendi, à fauilla rogi ſeparari potuerint. 163
XXII. De ritu ungendi cadaueris. Aromatum, & odoramentorum uſus tam in rogo, quam in ſepulcro. Cur Lazarus hoc modo curatus poſt quatriduum ſœteret. 170
XXIII. An prandia, qualia hodie habentur, apud ueteres in uſu fuerint. Quænam hora cena apud eoſdem, quidue conuiuia tempeſtiua, & intempeſtiua. 176
XXIV. De more tranſiliendi per ignem expiationis gratia. Ea ſuperſtitio apud Chriſtianos retenta. Fabæ pellendis lemuribus iactatæ. Id in melius à Chriſtianis deflexum. 183
XXV. Feriæ Caprotinæ. Ouidius explicatus. 185
XXVI. Cur caput Aſelli coronatum in fronte lectorum tricliniarium poſitum. Iuuenalis explicatus. Quid bucca apud eundem. 187
XXVII. Plautus non ſemel illuſtratus, & emendatus. 189
XXVIII. Alia in Plauto emendata, & explicata. 196

FINIS.

Digitized by Google

Noi Rifformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquiſitore nel Libro Intitolato; *Octauij Ferrarij Electorum Libri duo*; non eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Catholica, come parimenti per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, ò buoni coſtumi, concediamo licenza à Pietro Maria Frambotto di poterlo ſtampare oſſeruando gl'ordini &c. Dat. dal Magiſtrato li 16. Nou. 1678.

{
{ Leonardo Peſaro Proc. Ref.
{

Lodouico Franceſchi Segr.

Digitized by Google

OCTAVII FERRARII ELECTORVM

LIBER PRIMVS.

Quomodo nauis ſolutilis inſidias Agrippina euaſerit. Tacitus correctus, & explicatus. Cap. I.

NEroni, quâ fraude matrem Agrippinam è medio tolleret, ambigenti, Anicetum libertum, claſſis apud Miſenum præfectum, ingenium obtuliſſe Tacitus narrat Lib. XIV. 3. conſtructa naui, cuius pars ipſo in mari, per artem ſoluta effunderet ignaram. Placuit ſolertia: ſed parricidale conſilium, ad conuincendum ſcelus, caſus eluſit. *Nec multum*, inquit, *progreſſa nauis, cum, dato ſigno, ruere tectum loci, multo plumbo graue; preſſuſque Crepereius, & ſtatim exanimatus eſt. Agrippina, & Aceronia, eminentibus tecti parietibus forte validioribus quam ut oneri cederent, protectæ ſunt. Nec diſſolutio nauigij ſequebatur, turbatis omnibus, & quod plerique ignari conſcios impediebant.* Hæc Tacitus, in re tam inſigni mirum quantum obſcurus, & deprauatus. Qui enim iſti in naui parietes fuerunt? Deinde quomodo parietum partes eminentes, ideſt tecto ſuperiores, illius ruinam fulcire potuerunt? Poſtremo, cur non & Crepereio iidem parietes auxilio fuerunt, qui tecti procumbentis pondere oppreſſus eſt? Lipſius vocem, *parietibus* merito ſuſpectam habet. Acidalius, recte, *partibus* ſubſtituit. Nos totum locum facili negotio emendabimus, & pro, *tecti parietibus*, *lecti partibus*, ſcripſiſſe Tacitum, oſtendemus. *Ruere tectum loci multo plumbo graue, preſſuſque Crepereius, & ſtatim exanimatus. Agrippina, & Aceronia eminentibus lecti partibus, forte validioribus, quam vt oneri cederent, protectæ ſunt.* Erat in lecto tunc Agrippina. Nam paulo ſupra. *Crepereius Gallus, haud procul gubernaculis adſtabat, Aceronia ſuper pedes cubitantis reclinis.* Cubabat Agrip-

Agrippina: ad lecti pedes familiariter ſe reclinauerat Aceronia, cum hera ſermonem ſerens. Ruit tectum, & Crepereium non procul à gubernaculo opprimit. Quominus fęminas obrueret, obſtitêre partes lecti eminentes, validiores, quam vt tecti caſu ac pondere, frangerentur. Sic hera cubans, ancilla in lectum reclinata, lecti ope tectæ, perniciem euaſerunt. Eæ autem lecti partes eminentiores fuerunt, quales hodie in vſu, vt plutei, columnæ, fulcra & alia, ſiue ad ornatum, ſiue ſuſtentandis conopęis. Sic ergo vnius literulæ mutatione, totum hunc locum reſtituimus.

Sed alterum peſſime affectum, nonniſi vocis vnius adiectione ſanari poſſe diffidimus. Is eſt Lib. XII. *ob hæc mors indicta, multum aduerſante Narciſſo, qui Agrippinam magis, magiſque ſuſpectans, prompſiſſe inter proximos ferebatur, certam ſibi perniciem, ſeu Brittanicus rerum, ſeu Nero potiretur. Verum ita de ſe meritum Cæſarem, vt vitam vſui eius impenderet. Conuictam Meſſalinam, & Silium. Pares iterum accuſandi cauſas eſſe, ſi Nero imperitaret. Brittanico ſucceſſore, nullum Principi meritum, ac nouercæ inſidijs domum omnem conuelli, maiore flagitio, quam ſi impudicitiam prioris coniugis reticuiſſet*. Merito iſta mendi ſuſpecta Lipſio viſa ſunt, alijs luxata, & corrupta, qui tamen vrendo, ſecandoque longe deteriora reddiderunt. Nempe Salinerius, & Freinshemius. Nec felicius ſe inde expedit doctiſsimus, & amiciſsimus Gronouius Obſeruat. L. 1. 22. Nobis prius in ſententia elicienda laborandum eſt, tum facili negotio, rem totam conſtituemus.

Narciſſus quo accuſante, mox & iubente, Meſſalina mater Brittanici impudicitiæ pęnas luerat, nimiam Agrippinæ potentiam, noua quotidie molientis, ſuſpectans, multum aduerſatus fuerat, ne Lepida Auguſtæ domui innexa, eiuſdem Agrippinæ æmulatione, ac fraude damnaretur. Sed fruſtrà, validiore in dies apud Claudium Agrippina. Quare inde coniiciens, nihil non auſuram fęminam, ſermonibus inter proximos iactauit, exitium ſibi imminere, ſiue Brittanicus, ſiue Nero rerum potiretur. Nam Brittanicum expetiturum pęnas interfectę parentis. Et quamuis nihil adhuc de Nerone male meruiſſet, nihilominus caritate in Claudium cogi ſe, ad nouam aduerſus Agrippinam accuſationem adornandam, ſpeſque eius improbas, & cum Pallante adulterium detegendum; vnde exitium ſibi impendere, ſi Nero Imperium capeſceret.

Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem ergo alterutro imperitante, ſibi pereundum foret, malle, aiebat Brittanicum regnare, vnde nullum Claudio hero periculum. Contra licet ſecuritati ſuæ conſulere poſſet, ſilendo, ac diſsimulando praua Agrippinæ conſilia: nihilominus ita de ſe meritum Claudium, vt vitam eius vſui, & ſaluti impendere vellet: cum præterea maius flagitium futurum eſſet, ſi Claudio, Agrippinę inſidiis domum conuelli, non patefaceret, liberiſque exitium parari, quam ſi impudicitiam Meſſalinæ reticuiſſet, nam ex hac præter dedecus, nullum Claudio periculum, ex Agrippinæ impotentia, certam perniciem. Proinde accuſaturum ſe eam, vel cum periculo ſuo.

Non alia ſane huius loci ſententia eſſe videtur. Sed vox *meritum*, inde eiicienda eſt, quæ etiam incommoda Acidatio viſa eſt, *qui nullum è principe metum*, legit, nihil tamen inde extricat. Recte enim eſt, nullum principi metum, nempe Claudio, nihil à Brittanico filio metuendum. Mox. *At nouercæ inſidijs* (Agrippinæ) *domum omnem conuelli, maiore flagitio* (addendum omnino, *ſileri*, vel aliud ſimile,) *quam ſi impudicitiam prioris coniugis reticuiſſet*. Minori enim dedecore, ac perfidia Libertus, heræ Meſſalinæ probra diſsimulaſſet, quam Agrippinæ, iam Claudii iugulo imminentis, inſidias.

Quamobrem omnia recte conſtabunt, ſi in hunc modum legantur. *Ob hæc mors Lepidæ indicta, multum aduerſante Narciſſo, qui Agrippinam magis, magiſque ſuſpectans, prompſiſſe inter proximos ferebatur, certam ſibi perniciem, ſeu Brittanicus rerum, ſeu Nero potiretur. Verum ita de ſe meritum Cæſarem, vt vitam vſui eius impenderet. Conuictam Meſſalinam, & Silium. Pares iterum accuſandi cauſas eſſe, ſi Nero imperitaret. Brittanico ſucceſſore* (deſtinato) *nullum principi metum. At nouercæ inſidijs domum conuelli, maiore flagitio ſileri, quam ſi impudicitiam prioris coniugis ſiluiſſet.* Ex hoc enim ſilentio Claudio periculum, ex illo nullum. Sed de his ſatis.

De Labaro, & vnde dictum. Item vnde Labrata. Cap. II.

REcte obſeruat Baronius ad annum CCCXII. facilius eſſe in antiquis monumentis ſigna Labaro ſimilia ſpectare, quam eius nomen apud ſcriptores Ethnicos legere: quod nulla eius mentio apud Modeſtum, qui omnes voces militares complexus, librum Tacito Imperatori inſcripſit: nullum apud Vegetium, qui eiuſdem argumenti commentarium ad Valentinianum dedit, Labari verbum habeatur. Exiſtimatque Labarum, Vexilli nomine comprehenſum, & ante *Cantabrum* appellatum, ſiue id à Cantabris dictum, ſiue à conto, cui ſuſpendebatur, quaſi Contabrum. Tam Tertullianus enim, quam Minutius Felix in antiquis codicibus vocem *Cantabra*, retinent: & in Codice Theodoſiano extat lex de *Cantabrarijs*, & ſigniferis. Et Labari quidem figuram, in antiquis monumentis, ac nummis extare. Oblongum nempe haſtile, quod in ſummitate tranſuerſam haſtulam habuit, inſtar crucis, ex qua pendebat velum, ſiue vexillum, cui vel Crux, vel nota Salutaris ☧ inſcripta erat: infra aurea Imperatoris, & liberorum effigies, ſiue ſacri vultus inſerti viſebantur.

Sed vnde Labarum dictum ſit, pigeret quærere, niſi viri ſanctiſsimi, & doctiſsimi fruſtra in hoc laboraſſent. Divus quidem Nazianzenus in Oratione prima aduerſus Iulianum inuehitur, quod Labarum cruce decorum abſtuliſſet, eò audaciæ prolapſum dictitans, vt aduerſus magnum illud vexillum præceps ferretur, quod ſimul cum cruce, magnificè, & cum inſigni pompa exercitum ducebat, in ſublime euectum, quod ſoluendorum laborum vim haberet, vt ab eo apud Latinos, nomen inuenerit. Ex quo, mirum, ſentire videtur Gregorius, *Laborum* (nam ſi Labarum ſcribatur, tota ruit notatio) ſic dictum, quod ſoluendorum laborum vim haberet. Id ſi recipiamus, etiam nox, dies appelletur licet, quod diem finiat, & morti vitæ nomen dabimus, quod illam diſſoluat.

Baronius ipſe, ita Gregorio fert ſuppetias, vt cauſam deteriorem reddat. Primo enim ex Græca, & Latina voce, id nomen conflatum, & quidem trunca, putat, *Lab.* & ὅρος, idelt finis, & terminus: ut iuxta Gregorii mentem, *Laborum* idem ſit, quod *Laboris*

ὅρος,

ὅρος, laboris terminus. Sic autem primo nominatum à Conſtantino M. (nam maioribus ea vox ignota) vel quod Vrbem à Tyrannide Maxentii liberando, tot tantiſque malis, & laboribus finem impoſuiſſet, vel quod Cruce, inſectationis laboribus terminus figeretur. Cum præterea, ut Euſebius, & Sozomenus tradunt, quando cohors aliqua in prælio laboraret, ad ſubſidium eius, Conſtantinus Labarum inferri iuberet. Adiicit Baronius, dici poſſe, appellatum *Labarum*, ex voce pariter hybrida, à labore nempe, & ἄρος, quod eſt utilitas, ut ſit Labarum, laborum utilitas. Sed notationis ambiguus eſt, quod Græci *Laborum*, non *Labarum* dixere.

Sed Latinam vocem eſſe, inde recte coniicit Pamelius, quod Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Græci ſcriptores omnes dicunt, vexilli id genus, Labarum à Romanis nuncupari. Tentemus igitur & nos, an veriorem huius vocis originem expiſcari poſſimus. Quod ut facilius præſtemus, res paulo ſupra repetenda eſt: & prius, quid *Labrata* fuerint, diſquirendum. Eorum mentio Synopſi Baſilicon Lib. LVI. ubi ut doctis adnotatum eſt, illud Codicis de public. læt. nunciat. L. unica. *Si ſacros vultus inhiantibus forte populis inferimus*, expreſſum, ἐπὶ λάβρατα καταγγέλουν: atque ita *Labrata* reddiderunt, quos dicta Lex, *ſacros vultus*, appellat.

Nec immerito Salmaſius eos reprehendit, qui putarunt *Labratum* ſcribi, pro *Laurato*, & eſſe imaginem Imperatoris laureati, ac triumphantis: recte, inquam arguit, quod lauratum, pro laureato, Latine non dicatur. Ipſe vero exiſtimat, *Labrata* fuiſſe oſcula, quibus in adorando utebantur, & inde dicta, quod manum labris admouerent, cum, ut vox ipſa notat, in adorando, oſcula labris imprimerent: inde illa oſcula labrata. Quoniam autem huiuſmodi oſculis ſacri vultus, ſiue Imperatorum imagines, excipiebantur, & adorabantur, in Gloſſis *Labratum* dici, ἀσπασμὸν βασιλέως, & Labratum φίλημα βασιλικὸν, ubi intelligi oſculum, ut ſit *labratum oſculum*. Ex quibus colligit, quoniam Imperatorum imagines labratis exciperentur, & ab omnibus adorarentur huiuſmodi oſculis, inualuiſſe, ut etiam *Labrata* dicerentur.

Hanc ſententiam ſequatur qui velit, mihi pluſquam mirum videtur, imaginem, quod oſculis labratis exciperetur, dictam labratam, nam & eadem ratione dici oſculum poſſet. Quis autem

horum

horum labratorum oſculorum meminit unquam? Num aliquod oſculum ſine labris? At in adoratione, manui ad os relatæ oſcula labris imprimebantur. An reliquæ baſiationes, & ſauia ſine labris impreſſa? Cur non & Deorum ſimulacra, ſignaque in phanis, quę eodem modo adorabantur, iactatis oſculis *Labrata* pariter dicta? Cur non & purpura Principalis, quæ eodem cultu adoranda præbebatur? cur ſoli ſacri vultus? Fuerit labratum oſculum Regium, ſiue Regia ſalutatio, ipſas imagines oſculis appetitas ſic dictas nemo iure affirmauerit.

Si nec à lauro *Lauratum*, nec à labris *Labratum*, unde nam vocem hanc deductam dicemus? Falſa, & inepta notatio, quam Gloſſæ Baſilicon aſſerunt, Salmaſio videtur, nobis non ita. *Λαβράτον ἐκ τοῦ λαβοράτον, καὶ κατὰ συγκοπὴν λαβράτον, τουτ' ἔστιν ὁ εἰργασμένος χειροποίητος ὅρος.* Loquitur Gloſſarum auctor de Hermula, qui pro agrorum termino ponebatur, quem vult dictum *Labratum*, quaſi *Laboratum*, & manu factum. Quæ Gloſſa nobis lucem aperuit in his tenebris. Nam verè etiam *Labrata* dicta ſunt à Græcis latina voce, ut alias ſæpe, hoc eſt *Laborata*, quod ſacri illi vultus, & Cæſarum imagines, magno artificio expreſſæ, & elaboratæ eſſent, dicta ſunt *Laborata*, ſiue *elaborata*, mox *Labrata*, vel *Laurata*, vt in Mileuitano, facili mutatione, tandem magis contracta, & corrupta voce, labara, & labora.

Vexillum enim illud inſigni opere, atque artificio, nec minore pretio confectum nemo ignorat, at in eo ipſos ſacros vultus, & Cæſarum ora ſpectata. Itaque primi *Laboratum*, ideſt eximio artificio confectum, quæ vox in hoc ſenſu penes Italos remanet, deinde *Labratum*, tum *Labarum*, ſiue *Laborum*, præcipue apud Græcos. In Codicibus Theodoſiano, & Iuſtinianæo, *Laborum* appellatur. De præpoſitis *Laborum*. Vbi Cuiacius *Laborum*, non *Labarum* legendum obſeruat ex Nicæno ſecundo Concilio, & ex verbis Sozomeni, ſic dicentis: *θατέρον δὲ τῶν σκήπτρον ὁ ῥωμαῖοι λάβωρον καλοῦσιν*: quod probat Turnebus, qui in antiquo Lexico, ſe *Laborum* repeMiſſe dicit, quæ alijs adnotata ſunt. Nulla ergo cauſa erat, cur Alciatus veterem lectionem mutaret.

Labari autem pretium, atque artificium, Euſebius in vita Conſtantini expreſſit. Hunc enim ex nocturno viſo, quo iuſſus erat, ſigno, inſtar eius, quod in Cęlo vidiſſet, confecto in prælijs vti, acerſitis

cerſitis

cerſitis artificibus, qui aurum, & lapides pretioſos affabrè ſculpere nouerant, verbis ſigni formam deſcripſiſſe, ſimul mandaſſe, illud ex auro, ac lapidibus pretioſis confici. Fuiſſe autem haſtile oblongum, auro vndique obductum, quod cornu tranſuerſum ad formam crucis haberet, in faſtigio operis corona affixa, lapidibus pretioſis, & aurò polite circumtexta: in ea notam ſalutarem inſcriptam. *Ad cornu autem*, inquit, *eius particula, quæ ex tranſuerſo erat per haſtile traiecta, velamen quoddam pertenue appenſum erat, regali videlicet, & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretioſorum artificioſe coniunctorum, luciſque ſua claritate reſplendeſcentium depicta, & multo auro intexta. Sub ipſum autem Crucis inſigne, ad texturæ diſcurrentis fimbrias auream pij Imperatoris pariter, & liberorum ſuorum effigiem, ad pectus vſque concinne deſcriptam continuit.* Hæc qui legerit, atque illud Prudentij meminerit


Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum,

cur *Laboratum* dictum ſit facile intelliget, ex quo *Labratum*, *Labarum*, & *Laborum*.

Hæc eſt noſtra de *Labratis*, ac *Labaris*, opinio, quam eiurare parati ſumus, ſi quis meliorem attulerit: ſaltem minus inepta iis, quas ſupra adduximus, videri debet. Ceterum Baronius immerito eos reprehendit, qui prodiderunt, vnum tantum vexillum in exercitu fuiſſe, quod ſignum Crucis præferret, cum reliqua ſigna, ſiue vexilla, ante Conſtantini tempora ſignum Crucis referrent. Sed aliud eſt ſignum inſtar Crucis fuiſſe, aliud ipſam vere Crucem intextam geſtaſſe. Plura quidem ſigna cohortium fuere, quod nempe longo haſtili haſtula tranſuerſa in ſummitate alligata eſſet, ex qua velum pendebat, in quo ferme numerus cohortium, propter quod, quandam Crucis imaginem referebant, & ideo Patres ſigna illa Cruces appellarunt, & vela ſtolas, ac monilia Crucium Oratoriè dixerunt, Tertul. Apologetico. *Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis, monilia crucium ſunt: ſipara illa vexillorum, & Cantabrorum ſtolæ crucium ſunt.* Nulla tamen crucis imago in illis vexillis expreſſa, aut intexta: ſed ſolum *Labarum* hoc habuit peculiare, vt in ipſo

velo,

velo, ſiue ſipharo, vel ſuparo, quod de haſtæ ſummitate veluti ex antemnula dependebat, ſignum illud ſalutare impreſſum haberet, hoc eſt vel ipſam Crucis effigiem, ut in Valentis nummo, vel Chriſti ſeruatoris literas duas initiales, ☧, vel hoc, quod Baronius poſuit ⳨, ubique crux cernebatur. Quod in ſolo Labaro, nam in



vexillis cohortium, tranſuerſa haſtula ſummum haſtile interſecans, crucis quidem figuram reddebat, nullam veræ Crucis imaginem intextam habebat. Fuiſſe autem unum modo Labarum ipſe fatetur Baronius, & verba Gregorij euincunt, cum vocat vexillum, quod exercitum ducit, quodque in omnia vexilla principatum tenet. Sed plura labara fuiſſe indicare videntur leges ſupra allatæ, de præpoſitis laborum. Verum cum non unus tum exercitus per Orbem terrarum militaret, ſuum cuique Labarum fuiſſe veriſimile eſt: ita nec unum labarum, & plures eorum præfecti. Ac ne quis obiiciat ante Conſtantinum in uſu labarum fuiſſe, ex Tertulliano in Apologetico apud quem legitur, *ſipara illa vexillorum, & labarorum*, iam Pamelius monuit, in manu exaratis extare *Cantabrorum*, ſicut apud Minutium. *Nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum, quid aliud, quam inaurata cruces ſunt, & ornata?* Vt illa vox *Labari* ex Gloſſa in textum irrepſerit: & fruſtra ſint, qui pro *Cantabris*, *Labara* intrudere conantur.

De Vexillarijs Legionum. *Tacitus explicatus. Cap. III.*

DE vexillo *Laborato*, ſiue *Labaro*, ſatis dictum eſt, cuius occaſione, quid Vexillarij legionum eſſent, diſquirere non præter rem futurum putamus. Apud Tacitum Lib. I. annal. Percennius

nius ſeditionis exercitus Pannonici incentor, inter cetera. Illud quoque expoſtulat, *quod tricena, & quadragena ſtipendia, ſenes, & plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent: ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ, ſed apud Vexillum retentos, alio vocabulo, eoſdem labores perferre.* Vbi Lipſius obſeruat, miſſionem ſimplicem, & unam apud antiquos, ab Auguſti æuo, factam duplicem, exauctorationem, & miſsionem. Idque ipſo Tacito auctore infra. *Placitum, ut epiſtolæ nomine Principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari, qui ſena dena feciſſent, ac retineri ſub vexillo, ceterorum immunes, præterquam propulſandi hoſtis.* Exauctoratos igitur, ſacramento ſolutos, ſignis, aquilaque ademptis, non tamen protinus dimiſſos, ſed ſeorſim in exercitu retentos ſub vexillo, donec deducerentur, aut præmia acciperent, interea immunes à labore, & excubiis, & munere omni caſtrenſi, niſi propulſandus hoſtis eſſet. Eos autem, quibus plena miſsio concederetur, ſtatim ab exercitu, aut in Coloniam deductos, aut penatibus redditos.

Vere ergo exiſtimat Lipſius, exauctoratos milites nondum plane miſſos fuiſſe, ſed à legionibus diſcretos, & ſub vexillo retentos, donec deducerentur, eoſque alio nomine, ſiue *Veteranos*, ſiue *Vexillarios* dictos, utraque enim vox apud Tacitum legitur. Quo magis mirum videri debet, virum ſummum ad Vopiſcum, libere nimis, & confidenter pronunciaſſe, quod genus militum eſſent illi Vexillarij, dubitaſſe, imò plane ignoraſſe, doctiſsimos Taciti commentatores, quæque ab iis afferuntur, nugas eſſe. An ita ſit videamus. Ipſe credi vult, *Vexillarios* nihil aliud fuiſſe, quam quos antiqui Triarios appellarunt, eoſque fere ex veteranis: nullam autem legionem fuiſse, quæ non haberet hoc veteranorum vexillum: atque ideo cum *vexillum legionis*, aut *legionum vexilla* occurrunt, de his veteranis intelligendum eſse.

Sed quæ ex hac ſententia conſequantur, curæ pretium fuerit expendere. Primum citra controuerſiam eſt, iſtos Vexillarios miſsos fuiſse, ſiue exauctoratos. Tacitus. *Ne dimiſſis quidem finem eſſe militiæ, ſed ſub vexillo retentos, alio vocabulo eoſdem labores tolerare.* Si Vexillarij dimiſsi, ſiue exauctorati, erant legionis triarij, ſequitur cuiuſque legionis triarios exauctoratos fuiſse, ac ſacramento ſolutos, & quidem legitimo numero ſexcentos. Quod ne cogi-

Digitized by Google

tandum quidem eſt. Nec ullus veterum, qui Romanas acies, ordinemque militiæ executi ſunt, hoc poſuit. Liuius vocat *veteranum militem ſpectatæ virtutis*, non autem omnes veterani exauctorati erant. Neque id fieri poterat. Cum enim legiones nouæ conſcriberentur, & quidem repentino delectu, unde iſti triarij exauctorati ſumebantur? Nam alia militia perſuncti, & dimiſsi, rurſuſque conſcripti, non exauctorati, ſed euocati dicebantur.

Præterea ſi hoc Vexillum, ſub quo, & unde *Vexillarij* dicti, fuit proprium triariorum, & quidem in ipſa legione, quæretur, an idem fuerit cum vexillis, ſiue ſignis cohortium: nam ſi idem, non unum tantum fuiſſet, cum unaquæque cohors ſuum ſignum, ſiue vexillum haberet, & ſic tria vexilla triariorum fuerint neceſse eſt, cum tres in una legione eorum cohortes eſsent; Diuerſum autem fuiſſe, & qua ratione à ceteris diſtingueretur, nullus veterum tradidit, aut recentiorum. Sed quid attinet coniecturis agere? Hos vexillarios, poſt exauctorationem à legionarijs diſtinctos, diuulſos, & ſeparatos fuiſſe, Taciti verba manifeſte conuincunt. *Legati*, inquit, *ab Senatu, regreſſum apud aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima, & Viceſima, veteranique nuper miſſi, ſub vexillo hiemabant*. Si enim veterani iſti pars legionum fuerunt, ut vere erant triarij, quid opus fuerat, eorum mentionem facere, ſatis enim totum ponere, ut pars intelligeretur. Alioquin potuiſset etiam dicere: duæ legiones hiemabant, item haſtati, ac principes, non minus enim hi legionis pars, ac triarii. Quia ergo diuiſi, ac ſeparati, & non ſub Aquila, *Veterani*, inquit, Tacitus, *nuper miſſi, ſub Vexillo*. Nihil profecto iis verbis clarius.

Nec multo poſt narrat idem, ſeditioſas legiones pœnitentia ductas, pœnas in ſe depopoſciſſe, & ſponte ſeditioſiſſimum quemque ab ijſdem punitum. Mox ſubijcit. *Secuti exemplum veterani*, ideſt vexillarij, *ad exemplum legionum ſeditioſos punierunt*, quod etiam fruſtra dictum eſſet, ſi pars earum fuiſſent: Addit Tacitus, eoſdem veteranos, non multo poſt in Rhetiã miſſos, ſpecie defendendæ prouinciæ, ob imminentis Sueuos: *ceterum ut auellerentur caſtris trucibus adhuc, non minus aſperitate remedii, quam ſceleris memoria*. Quod ſi triarij fuiſſent, ſingulæ legiones mutilæ factę eſſent, & debiles, validiſſimis membris abruptis & robore triariorum abducto: idem dicendum de vexillarijs, qui apud Chaucos ſeditionem cęptauerant.

Nam

Nam cum in ſuperiore exercitu Germanicus, quatuor legiones ſacramento adegiſſet, tradit Tacitus, cęptaſſe in caſtris ſeditionem *præſidium agitantes vexillarios diſcordium legionum*, qui quoniam ſeparati degebant, omniumque erant immunes, præterquam propulſandi hoſtis: & remouebantur ut plurimum ab exercitu, & in præſidiis collocabantur. Ita Lib. III. Veteranorum vexillum ſeorſim à legionibus Tacfarinatis copias profligat. *Tantumque*, inquit, *ſeueritate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, eaſdem Tacfarinatis copias fuderint.*

Hæc omnia cogunt, vel nolentes, credere, vexillarios fuiſſe ſeparatos, & ſub diuerſo, ac peculiari vexillo egiſſe, ita tamen ut in acie ſequerentur eam legionem, unde dimiſſi fuerant: & ideo à Tacito, atque aliis dicitur *vexillum Primæ legionis*, item *Vexillarij Nonæ, Vexillarij Viceſimæ*. Neque multum nos mouere debent Liuii verba Lib. VIII. quêis comprobari poſſe putant, cum triarijs eoſdem fuiſſe Vexillarios. *Scribebantur autem quatuor ferè legiones, quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones trecentis, alterum tantum ex Latino delectu adijciebatur, qui ea tempeſtate hoſtes erant Romanis, eodemque ordine inſtruxerant aciem: nec vexilla cum vexillis tantum, uniuerſi haſtati cum haſtatis, principes cum principibus, ſed Centurio quoque cum Centurione, ſi ordines turbati non eſſent, ſibi concurrendum eſſe ſciebat.* En, aiunt, Vexilla pro triarijs à Liuio ponuntur. Quod ſi concedimus, etiam triarij ante haſtatos, & principes pugnarunt, talis enim ibi ordo ſtatuitur. Vel ergo ibi vexilla de velitibus, & rorarijs, quique in prima fronte pugnabant, ſi modo ſub vexillo fuerunt, vel potius de ſignis cohortium, quod eadem in utraque acie eſſent, ut ſit, quod ait Lucanus,

Infeſtiſque obuia ſignis,
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Triarij autem omiſſi, quod raro pugnarent, tum ſcilicet cum haſtati, ac principes pulſi cederent, tuncque ipſi hoſtem propulſarent. Quod ſi vexilla pro triariis accipiamus, nulli ſane ea tempeſtate vexillarij, qui exauctorati retinerentur ſub vexillo, id enim ſub Auguſto, aut paulo antea excogitatum crediderim, & ideo tanquam rem nouam Tacitus retulit. Quidquid ſit de Liuii mente, vexillarios non fuiſſe eoſdem cum triariis ex dictis facile apparet.

Ceterum Hygini locus in Gromatico noſtram potius ſententiam confirmat. *Vexillarij*, inquit, *legionum, eandem pedaturam debent accipere, quam cohortes legionariæ, quod ad ſexcentenos homines computentur*. Aperte vexillarios à legionarijs diſcernit: triarii ſiquidem in legione, & quidem per cohortes, Vexillarij ergo, qui eandem pedaturam, quam cohortes legionariæ accipiebant ab ipſis cohortibus ſeparati.

Ceterum ſi quis quærat, quodnam eſſet hoc vexillum, ſub quo veterani, haud facile mihi fuerit expedire. Coniectura tamen ducor, vt credam forma non abſimile vexillis cohortium fuiſſe, licet magnitudine præſtaret. Nam ſigna cohortium vexilla dicta fuiſſe notum eſt. Tacitus. *Manipuli Nauportum miſſi vexilla conuellunt.* Et infra, *diſcedere in manipulos iubet, vexilla præferri, ut id ſaltem diſcerneret cohortes*. Horum inſtar fuiſſe vexillum illud ſuſpicamur. Haſtile nempe oblongum (ut de Labaro dicebamus) cuius ſummitati tranſuerſa antemnula illigata, velum ſiue ſupparum ſuſtinebat; & quemadmodum in ſignis cohortium, velum ſuſpenſum, numerum ipſius cohortis ferme inſcriptum habebat, *Cohors I.* II. X. ita & in hoc inſcriptum fuiſſe, *Vexillum legionis primæ, ſecundæ, tertiæ*. Sed tantum licet ſuſpicari. Sicut non ita compertum mihi, quodnam vexillum illud fuerit, quod in domo Germanici ſitum, furens miles effractis foribus, nocte concubia, tradere coegit. Num vexillum veteranorum, ut cenſet Gronouius, *qui nuper miſſi ſub vexillo hiemabant*, ſed cur illud in domo Cæſaris ſitum, & non cum reliquis ſignis, aut Aquila in ſacello de more poſitum? An vero, quod ſentit Lipſius, & ante eum Turnebus Lib. XIV. 18. vexillum purpureum, quod in futuri prælii ſignum proponebatur.

Quod ſi vexillum veteranorum fuit, cur unum tantum, cum duarum legionum vexillarij eſſent? Fortaſſe omnes tunc exauctorati, licet non unius legionis, ſub uno vexillo tendebant. Nam cum apud Chaucos, ut ſupra diximus, cœptaſſent ſeditionem vexillarii diſcordium legionum, qui ibi præſidium agitabant, *Manius præfectus caſtrorum*, inquit Tacitus, *exterritis, qui obſtiterant, raptum vexillum ad ripam vertit*, ubi unum tantum Vexillum, non unius tamen legionis Vexillarij.

De

De Signis Cohortium. Cap. IV.

SEd quoniam in his verſamur, aliqua etiam de ſignis, & vexillis cohortium adijcere non ab re futurum puto. Et legionis quidem primum, ac præcipuum ſignum Aquilam fuiſſe, hoc eſt aquilæ argenteum ſimulachrum, interdum etiam aureum expanſis alis, fulmen pebibus complexum docti pridem obſeruarunt, illudque ſublimi haſtæ impoſitum, ut in veteribus nummis frequentiſſime occurrit. Et Dio quidem Lib. XL. quid eſſet Aquila explicans, ait, fuiſſe modicum ſacellum, & in eo aquilam auream, quæ haſtæ oblongæ impoſita portaretur in unaquaque legione. Huius ſacello incluſæ aquilæ effigiem attulit Salmaſius ad Solinum. Sed in ceteris nummis ſemper nuda aquila ſine ſacello conſpicitur. Quidquid ſit, modicum id aquilæ ſimulacrum fuiſſe inde notum, quod Florus L. IV. ſcribit. *Tertiam aquilam ſignifer, priuſquam in manus hoſtium veniret, evulſit, merſamque intra baltei ſui latebras gerens, in cruenta palude delituit.* Neque enim baltei latebris tegi potuiſſet aquila admodum magna.

Sed cum Suetonius de Auguſto hæc habeat. *Sequenti prælio ſatis conſtat, non modo ducis, ſed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione, Aquilifero legionis ſuæ grauiter ſaucio, Aquilam humeris ſubÿſſe, diuque portaſſe.* Id mirum Caſaubono viſum eſt: quod ſcilicet ſigna militaria eſſent tanti ponderis, ut iis portandis, vix valentiſſimi humeri ſufficerent: & Octauius nec ea ætate fuerit, nec lacertis, ut ſine maximo conatu, par oneri eſſe poſſet. Adducit locum Herodiani in Caracalla, qui ut arduum, & rarum notat, quod ille ſuffecerit baiulandis interdum ſignis, dum per omnia, militibus ſuis vult facere ſe æqualem. *Tum commilitonem*, inquit, *quam principem vocari ſe malle, ac plerumque iter facere pedibus, ſuaque arma portare, & ſigna militaria longiſſima, & aureis ornamentis prægrauia, ac ne robuſtiſſimis quidem militibus facilia, ipſe humeris ſubire.*

Sed non animaduertit vir ſummus, fuiſſe diſcrimen inter Aquilam, & ſigna cohortium. Aquila, ut diximus, argentea, & modica, haſtæque oblongæ impoſita, ut conſpici ab uniuerſa legione

poſset.

Digitized by Google

poſset. Atqui ſigna cohortium, præcipue Herodiani ætate, habebant imagines Imperatorumque ex auro, aut argento, & alia præterea ornamenta, & ideo grauia, & difficilia portatu. Fuiſse autem additas ſignis Cæſarum imagines docuit Lipſius ad Tacitum, ſcilicet pectore tenus, & clypei inſtar in orbem ductas. Vnde eleganter Tertullianus, in ſignis, *imaginum ſuggeſtus* (cum altera alteri impoſita eſset) *monilia crucium* dixit, ſicut *ſuppara*, ſiue vela, *earundem ſtolas*. Sueton. Caligula XIV. *Artabanus tranſgreſſus Euphratem, Aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adorauit*. Tacitus L. XV. *Agmina legionum ſtetere fulgentibus Aquilis, ſigniſque & ſimulacris deûm in modum templi.* Hæret Lipſius, cur ſimulacris deûm, dixerit. Cum ſimulacra deorum appoſita non conſtet. Sed fortaſse in aliquibus ſignis, imagines Iulii Cæſaris, aut Auguſti, aut aliorum, qui inter diuos relati: aut quo inclinat Lipſius, ad ornatum, in eodem loco, etiam ſtatuas deorum adhibitas, & diſpoſitas fuiſse.

De Equuleo, & quale tormenti genus fuerit. *Cap. V.*

EQuuleum initio fuiſſe inſtrumentum, ad torquendum, & eliciendam veritatem, poſtea ad diſcruciandos reos, præcipue martyres translatum eſſe conſtat. Sed quale illud fuerit, adhuc à viris doctiſſimis dubitatur. Tres præcipue de Equuleo ſcripſerunt: Hieronymus Magius, Carolus Sigonius, & Antonius Gallonius. Primus vir eruditus, atque editis operibus celebris, machiniſque bellicis inueniendis ſolerti ingenio, cum muniendarum Vrbium artem inter paucos calleret, Turcis Cyprum inſulam inuadentibus, egregiam Venetę Reip. operam nauauit, & in Famaguſtæ obſidione, nouis quotidie inuentis, magna hoſtibus detrimenta intulit, eorumque conatus, ac multorum dierum labores, facili negotio eluſit. Capta tandem Vrbe, Chriſtianiſque per ſummam perfidiam aut interfectis immaniſſime, aut in captiuitatem abductis, Magius cuidam Turcæ Trierarcho ſeruus addictus eſt, à quo immaniter habitus, cum reliqua mancipiorum turba Bizantij degebat. Quo tempore, omni librorum auxilio deſtitutus, nocturnis horis, cum ceteri quieſcerent, duos libros compoſuit, unum de Tintinnabu-

lis,

lis, de Equuleo alterum, hunceque Francorum Regis Legato, illum Cæſaris Oratori inſcripſit, quorum ope, ac liberalitate imminens exitium ſe vitaturum ſperabat. Turcæ enim homini, per quem tot clades in Vrbis obſidione acceperant, extrema quæque minitabantur. Sed ea fati inclementia fuit, ut Legati eum peſti eripere, aut noluerint, aut nequiuerint. Barbari enim iniecto laqueo gulam in carcere fregerunt.

Ergo in eo libello, quem tumultuarie, & ſola memoria nixus conſcripſit, Equuleum dictum cenſet, quod parui equi, ſiue pulli equini effigiem referret, qua ratione Itali lectorum fulcra, quæ quaternis pedibus innituntur, *Cavaletti*, appellant, item ſcamna, quibus tubi grandiores ſuſtentantur. Refutat deinde Laurentii Vallæ opinionem, qui fidiculas eandem rem cum Equuleo facit, & confectas ex duobus lignis obliquatis cenſet: Tum Raphaelem Volateranum, qui Equuleum fuiſse exiſtimat, quod vulgo funis, ſiue chordæ tormentum dicitur: cum noxius reuinctis poſt terga manibus, fune per cochleam in ſublime attollitur, ac demittitur, quaſsaturque. In qua opinione fuiſse Alciatum & Cardanum dicit. Credit ergo Equuleum fuiſse ligneum ſcamnum, ſeu ligneam arcam, quatuor pedibus ſubnixam, ſine fundo, quæ utrinque capiebat timpana, & funes, quibus manus pedeſque obligabantur, ut corpus extenderetur. Reliqua deſiderantur.

At Carolus Sigonius de Iudiciis Lib. III. 17. cenſet Equuleum fuiſse cataſtam ligneam cochleatam, ad intendendum, & remittendum aptam, torquendis noxiis, & exprimendæ veritati. *Tormenti vero genus erat*, inquit, *huiuſmodi. Vbi cataſta huic brachia, pedeſque eius, qui torquendus erat, neruis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligauerant, tum cataſta intenta, atque in altum erecta, ut ex ea, quaſi ex cruce, miſer ille penderet, primum compagem ipſam oſſium illius diuellebant, deinde candentibus laminis, & ungulis ferreis, laniatis lateribus, doloris acerbitatem augebant.* Quod in altum erigi ſoleret probat ex Sozomeno Lib. v. *Et cum ad tortorium lignum adduxiſſet, in ſublime tolli iuſſit.* Prudentius de S. Vincentio.

Corpus equuleo eminus pendere.

Et paulo poſt.

Iubet amiciri noxialem ſtipitem.

Plebeia,

Plebeia, clarum, pœna ne daret virum.

Mox ab alto ligno pependiſse oſtendit, cum ait.

Emitto vocem de cataſta celſior.

Quod autem ea machina cochleata eſset, Pomponius vetus poëta apud Nonium,

Et ubi inſilui in cochleatum equuleum,
Ibi tollutim torter.

ideſt torqueor. Quod brachiis, pedibuſque, fidicularum nexu, equuleo alligatis, diſtentus Equuleus, oſſium commiſsuras, cum dolore diſtraxerit, ex eodem Prudentio patere.

Vinctum retortis brachijs ſurſum, ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium,
Divulſa membratim crepet.

Et de D. Romano.

Miſerum putatis, quod retortis pendeo,
Extentis vlnis, quod reuelluntur pedes,
Compago neruis, quod ſonat crepantibus.

Subiicit Sigonius ex Euſebio, equuleum fuiſse, cum ad quintum ſoramen crura extenderentur.

Poſt Sigonium Antonius Gallonius, in libro de S. S. Martyrum cruciatibus, de Equuleo diſputauit Cap. III. Vbi poſtquam Sigonii opinionem attulit, in eorum ſententiam concedit, fuiſse machinam ad equi ſimilitudinem fabricatam, cum duabus rotulis, in extremis, excauatiſque eius partibus, poſitis, quæ quidem per axiculos, ductorijs funiculis traiectis verſabantur, unde fiebat, ut rei illis alligati, varie excruciarentur, atque diſtenderentur. Conſueuiſse autem veteres hoc modo equuleum conſtruere; *Præparabant ſtipitem rectum, longitudinis, latitudiniſque conuenientis, in cuius extremis partibus excauatis, duas rotulas, quæ per axiculos verti poterant: deinde quatuor pedes ſubijciebant, ut formam equi referret.* *Cui*, inquit, *torquendus ſupinus imponebatur, pedibus vinctis, & manibus poſt tergum religatis: deinde tortores, per machinulam ad equulei pedes fixam, reis corpus extendebant, à capite, & à pedibus machinam vertentes. Aliquando laxatis funiculis in curvum, ac penaulum ſub equuleo cadere ſinebant.* Hactenus Gallonius.

Quod machina illa tortoria inſtar equi, ſiue equulei fabricata eſset, cum Magio, & Pamelio ſentit Gallonius, vel uno Pompo-

pij

nij teſtimonio ſupra adducto. *Et ubi inſiluit in cochleatum equuleum, ibi tollutim tortor.* Sed quod ſupinos iacuiſſe credit, quia D. Hieron. Ep. XLIX. ait. *Equuleo tortos, oculos in Cælum tenuiſſe*, & Seneca. *Vtrum aliquis in gaudio ſit, & in equuleo iaceat.* Id nequaquam fieri potuiſſe videtur, ſed cum in equuleum inſiluiſſent, more equitantium, diſpeſsis cruribus inſediſſe, & cum retro brachia conuellerentur, nonniſi curuos ſletiſſe. Nam apud Senecam, non, *iaceat*, ſed *taceat*, legendum eſſe Muretus indicauit. Nam fuiſſe manus poſt tergum religatos idem fatetur ex Euſebio Lib. VIII. 2. *Quidam enim primum manibus à tergo colligatis, ligno appenſi, & machinis quibuſdam, membra eorum uniuerſa diſtenta, diſtractaque.*

Quod autem laxatis funiculis noxii incuruatis corporibus ſub equulei machinam cadere ſinerentur, probat ex Ammiano Marcellino Lib. XVI. *Innocentes tortoribus expoſuit multos, & ſub equuleo cœpit incurvos.* Et Lib. XVIII. *Quanquam incurvus ſub equuleo ſtaret, erecta tamen facie Cælum verſus.* Sed hæc indicant potius ſtetiſſe in equuleo incurvos, cum funes intenti eſſent, & non cum laxarentur. Nam intentio illa, qua brachia, retro ſurſum trahebantur, cogebat incurvos ſtare, qui equuleo inſidebant, cum & pedes rotulis deorſum reuellerentur, ut in tormento funis ductarij videmus. Itaque vix capio quomodo apud Ammianum incurvus ille ſub equuleo erecta facie Cœlum verſus eſſe poſſet: niſi intelligit modice ceruicem deflexam; maior in eo difficultas eſt, & quidem non una, quomodo aliquis equuleo inſidens, ſiue inequitans, dicatur ſtare ſub equuleo: deinde quod ſæpe in Actis Martyrum occurrit, appendi, vel ſuſpendi in equuleo. *Adduxit in conſpectum ſuum equuleum, & iuſſit ſuſpendi in eo Creſcentianum.* Et de S. Thelica. *Qui cum pendendo in equuleo extenſus, ſe Chriſtianum eſſe pronunciaret.* Quibus inductus Carraciolus exiſtimat, equuleum fuiſſe unum tantum ſtipitem erectum, ſiue ut Tertullianus in Apologetico loquitur, *Erecta ſtatione defixum*, & cochleatum, ad quem manibus, pedibuſque reuinctum hominis corpus ſurſum, ac deorſum, eodem tempore, tortoris arbitrio diſtendebatur. Nam Prudentius loco ſupra adducto.

Miſerum putatis, quod retortus pendeo, extentis ulnis;

Et de S. Vincentio.

Vinctum, ac retortum brachijs, ſurſum, ac deorſum extendite. Euſebius L. 1. *Quidam manibus à tergo ligatis, ligno appenſi.* Paulinus de vita S. Martini, *Porrecti robore ligni.* In actis Martyrum, *In equuleo ſuſpenſi: in equuleum leuatus.*

Ex quibus etiam apparet, manibus à tergo ligatis, ideſt non hinc inde diſtractis, ſed retro vinctis appenſos, ut iunctis pedibus inferne diſtenderentur. Acta tergeminorum fratrum apud Adonem XIII. Ianuarij. *Ligatis manibus ſurſum, ac pedibus inſum.* Si in equuleo reus ſupinus iacuiſſet, ſcilicet in trabe oblonga quatuor pedibus ſuffulta, ut vult Gallonius, quomodo ſurſum, ac deorſum diſtrahi potuiſſet? Multo minus ſi in cataſta, quæ eſt opinio Sigonii, nam cataſtam ipſam fuiſſe erectam, qui fieri potuit cum tabulatum, ſiue pegma eſſet? Itaque Caraccioli opinio probabilior videtur, fuiſſe equuleum erectum ſtipitem, ita enim intelligimus, quo modo homines in equuleo ſuſpenderentur, ideſt in erecto ſtipite: quomodo ſtarent ſub equuleo incurui apud Ammianum, nam cum eſſent brachia retro alligata, ut in tormento trochleæ, ſiue ſunis tortorii, reductis, ac revulſis brachiis, homo rectus ſtare non poterat.

Obſtat modo vox equulei: nulla enim erecti ſtipitis cum equuleo ſimilitudo. Nam quod ait Caracciolus, equuleum per C, non per Q, ſcribendum eſſe, utroque modo ſcriptum ſcimus: quod vero ſubiicit, eculeum dictum, quia culeum, ideſt corium, ſiue pellem valide ea machina extenderet, ineptum eſt: nunquam enim culeus pro hominis pelle, ſed pro utre, hoc eſt ſacco ex corio accipitur: nec pellis modo, ſed totum corpus extendebatur. Obſtat etiam illud veteris poetæ, *Cum in cochleatum equuleum inſilui,* quod de equo proprium, *ibi ſuccuſſim tortor,* non volubiliter torqueor, ut Nonius explicat, ſed ſuccutior, ideſt modo in altum tollor, modo contrario niſu deprimor, quod faciunt qui equo ſuccuſſatori inſident, Itali *trottare* a *quadrupedare*, ut in Originibus diximus.

Hæc omnia credere nos cogunt, aut non unam equulei formam apud veteres fuiſſe: aut ita compactum, ut ex duplici ligno conſtaret, ſtipite ſcilicet erecto, & altero ligno ad medium appoſito, eoque quatuor pedibus innixo, cui torquendus inſideret, illinc brachiis ſurſum, hinc pedibus deorſum extenderetur, & pars illa qua ſedemus,

Digitized by Google

ſedemus, acuto tranſuerſi ſtipitis dorſo, diffinderetur. Alia ratione diuerſa ſcriptorum loca conciliari non poſſunt. Prudentius de coronis: in S. Romano.

Incenſus his Aſclepiades iuſſerat,
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & uncis, vinculiſque creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt,
Illum vetuſta nobilem proſapia,
Meritiſque multis eſſe primum ciuium,
Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.

Apud Paulinum *Robora ſurſum porrecti ligni*, certe eſt ſtipes erectus, ex quo pendens incurvus ſtare ſub equuleo Ammiano dicitur, ſicut *ſub equuleo multos capit incurvos* apud eundem. Nam equuleo inſidentis brachia ſurſum trahi non poterant, niſi retro ſtipes erectus fuiſſet, cui impoſita trochlea, per quam funis retro vincta brachia ſurſum trahebantur, ſicut altera machina infra equuleum poſita, pedes deorſum reuellebantur. Nam quod Pamelius ad Cyprianum exiſtimat reos in equuleum coniectos ex Cicerone v. Tuſcul. næ ille non equuleum, ſed equum Troianum comminiſcitur. Non ibi Cicero de reo loquitur, qui in equuleum coniceretur. Verba eius ſunt. *Nam etiam in tormentis recte, honeſte, laudabiliter* (beate viuere) *hac etiam in equuleum conijciuntur, quo vita non adſpirat beata*. Hoc eſt, iſta durant etiam in equuleo, ſi mittantur in equuleum, perſeuerant. Quomodo enim in equum coniectus extendi potuiſſet, niſi ut in tauro Perilli igne ſubiecto torquebatur. Coniici igitur idem eſt quod infra Cicero ait, *ire in equuleum, & imponi equuleo*. Quomodo in equuleum coniectus, inſilire in eum dici poterat?

Quam dirum autem, & crudele tormenti genus illud eſſet, præter illa Prudentij.

Vinctum retortis brachijs ſurſum, ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium diuulſa membratim crepet:

Et, *Compago neruis, quod ſonat crepantibus.*

Vel unus Silius teſtis fuerit L. 1. ubi equuleo tortum Regis Hiſpanorum ſeruum deſcribens, ait. Ferum viſu, dictuque, per artem ſæuitiæ, extendi, quantum tormenta iubebant,

Creuerunt artus, atque omni ſanguine rupto
Oſſa liquefactis fumarunt feruida membris.

De Compede, fidiculis, & ungulis. Cap. VI.

HAud ita recte Sigonius, equuleum cum cataſta confundit, quodque abſurdius eſt, cum genere illo compedum, quo damnati in carcere poſiti, inſertis ad quartum, vel quintum foramen pedibus, torquebantur. Ait quidem Romanus martyr in equuleo apud Prudentium,

Emitto vocem de cataſta celſior,

non tamen ſequitur eandem rem fuiſſe, ſed quod equulei in Cataſta conſtituebantur, quo conſpectiores pœnæ, & ſupplicia forent. Nec aliud fuit cataſta, quam ligneum tabulatum, ſiue ſuggeſtus, & pegma, Itali, *Palco*, in quo etiam hodie ſupplicia ſumuntur. Et in cataſta quidam olim expoſitos ſeruos venales fuiſſe, ut melius ab emptoribus inſpici, & conſiderari poſſent, notum eſt. Præcipue ex Caſaubono ad Perſium Sat. VI. quem nuperi exſcripſerunt. Sed quod ait, in ædibus etiam fuiſſe cataſtas quas vocat Martialis, arcanas,

Inſpexit molles pueros, oculiſque comedit,
Non hos quos prima proſtituere caſa,
Sed quos arcana ſeruant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Non video ad quid iis cataſtis in domo opus fuerit. Verum tabulata arcanæ cataſtæ, fuerunt in ipſa publica cataſta, vel ſub ipſa recondita ſepta, in quibus pueri venales pretioſiores ſeruabantur, ne turbæ oculis proſtituerentur: ſublimis enim cataſta ſub ſe, vel in proximo, huiuſmodi tabulata recondita habebat, ut hodie etiam in officinis in receſſu pretioſæ merces ſeruantur. Porro illud apud Q. Ciceronem de petit. Conſ. *Amicam emere de machinis*, idem eſt, ac de cataſta, non quod cenſet Turnebus L. XXV. 4. in ergaſtulo, vel in piſtrino compeditam, vel in cataſta alligatam ad machinam: ſoluti enim venalitii in machina, ſiue cataſta, fuerunt, & amica de machina, eſt venale mancipium de cataſta.

Et Prudentius quidem de S. Laurentio martyre ait.

Poſtquam vapor diutinus

Decoxit

Decoxit exuſtum latus,
Vltro è cataſta Iudicem
Compellat affatu breui.

Siue quod craticula ſuper cataſtam poſita erat, loco eminenti, & conſpicuo, laminis ferreis ſubiectis, ne tabulatum ureretur, ſiue quod ipſa crates cataſtæ, & pegmatis ſpeciem, altius eucta, referret, nam alibi de Coronis idem ait,

Verberum poſt vim
Crepantum, poſt cataſtas igneas.

Addit Sigonius mirari neminem debere quod machinam ad torquendum paratam, quæ vulgo equuleus dicebatur, cataſtam appellarint, in Martyrologijs enim ſæpe legi, in cataſtam martyres fuiſſe impoſitos. Sed ut diximus, quia equulei cataſtæ imponebantur, & in cataſta martyres equuleo torquebantur, non quod equuleus cataſta eſſet. Et ideo cataſtas igneas poeta vocat, crates in quibus martyres torrebantur, quia cataſtæ impoſitæ, vel cataſtæ figuram referrent.

Ceterum Sigonius Baronium erroris ſocium habet, qui cataſtam, ligneam compedem interpretatur. De compede idem Prudentius in S. Vincentio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

In hoc barathrum conijcit,
Truculentus hoſtis martyrem,
Lignoque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Euſebius Hiſt. Eccleſ. L. VIII. 11. illud de crurum diuaricatione ſic explicat. *Nonnulli poſt verbera in compedibus ligneis poſiti erant, ut pedes alter ab altero, ad quartum foramen diſtenti eſſent.* Quod tormentum adeo crudele erat, ut idem ſubiiciat, iacuiſſe ſupinos. Eius ergo forma hæc erat, ut in trabe diuerſa foramina eſſent, quibus pedes inſererentur, ut modo ad quartum, modo ad quintum foramen, intruſis, ac diuaricatis cruribus extenderentur, & diſtraherentur. Quod tormenti genus Metaphraſtes *cippum* appellat in vita S. Luciani. *Eſt autem*, inquit, *lignum oblongum, cui ambos eius pedes immittebant, diſtrahentes ad quatuor foramina: quod quidem eſt in hoc ſupplicio grauiſſimum, nam coxendices violenter à ſuis mouentur articulis.* Diuerſus igitur à compede Equuleus fuit. Sicuti cataſta à compede, contra ſententiam Philandri ad Vitruvium

L. VIII.

L. VIII. 4. & Had. Iunium L. v. Aduerſ. 14.

Sequuntur fidiculæ, de quibus eruditi contendunt. Illud certum eſt, ferme cum Equuleo, à ſcriptoribus coniungi. Val. Maximus L. III. c. 3. *In Theodoro quoque Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit, rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminaſque extinxit, priuſquam efficeret, ut Tyrannicidij conſcios indicaret*. Quintilianus Declamat. ultima. *Ideo enim equuleum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, ut leniter ſedibus ſuis remota compage, per ſingulos artus membra laxaret*. Quare Magius, idem fuiſſe fidiculas & equuleum credidit. At Sigonius ait, torquendi brachia, pedeſque neruis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligatos, & cataſta intenta compagem oſſium diuulſam. Ante Sigonium Laur. Valla Lib. I. eleg. Fidiculas eſſe putauit inſtrumentum compactum ex duobus obliquatis lignis, quo diſtrahebantur ſontes, appellatum vel ab extorquenda fide (in quo fallitur) vel à nerueis funibus, & vinculis, quibus cruciandi alligabantur: fides enim ſunt funiculi, ſiue chordæ inſtrumentorum muſicorum, quod certum eſt.

Sigonium reprehendit Gallonius, ipſe caſtigatione dignus, qui cum Iſidoro putat fidiculas, & ungulas idem tormentum fuiſſe. *Vngula*, inquit Iſidorus, *dicta, quod effodiant, ea, & fidicula, quia illis rei in equuleo torquentur, ut fides inueniatur*. Quæ præter rem ſunt, licet eum Baronius, & Cerda ſequantur quodque nollem, etiam vir ſummus in Etymologico. Veriſimilius enim hoc eſſe, quum ſi inde nomen arceſſatur, quod ſontes funibus, veluti fidibus diſtendantur: quæ notatio etiam falſa eſt ut infra dicemus. Nam fidiculas ab eliciendà fide denominatas mera ſomnia ſunt, ut à fodiendo, quaſi *fodiculas*, ut Biſciola, vel à findendo, quaſi *findiculas*, ut ipſe Gallonius. Fuiſſe enim chordas, ſiue funiculos, à muſicis fidibus dictos certum eſt ex verbis Valerii, laxauit fidiculas, ideſt adſtrictos funiculos. Sed certius ex Suetonio, qui de Tiberio ait. *Excogitauerat inter cetera genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul, & urinæ tormento diſtenderet*. Vbi duplex tormentum, detentio urinæ, & arctè ſtringentium fidicularum dolor.

Sed Gallonius adducit locum Prudentii in S. Romano, qui videtur indicare fidiculas eſſe ungulas. Nam Aſclepiades Iudex iubet

bet carnificem vertere ictum in os loquentis, *inque maxillas manum, ſulcoſque acutos, & fidiculas transferre, verboſitatis ut rumperetur locus.* Deinde ſequitur.

Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas ungulis ſcribentibus
Genas, cruentis & faciem ſecat notis.

Hoc tamen non indicat, fidiculas fuiſſe ungulas. Sed quia, antequam ungulæ membrum aliquod lacerarent, prius illud fidiculis, ſiue nerueis funiculis arctiſſime ligabatur, ut intumeſcens pars illa, ſæuius laceraretur, ut fit in ſanguinis emiſſione, cum brachium prius arctiſſimo nodo conſtringitur. Eodem modo lictor iuſſus ungulis faciem lacerare, in eam fidiculas transfert, quibus genæ conſtrictæ intumeſcerent, deinde ſic turgidas, & inflatas ungulis ſecat, & charaxat, ideſt per faciem ſulcos recte, & tranſuerſe ducens, ut olim ſtylo in tabulis ceratis, hodie calamo, ſcripta delentur, ſiue ut vulgo loquitur, cancellantur.

Non eſt ergo dubium fidiculas fuiſſe neruos, ſiue funiculos, ut iis in equuleo brachia, pedeſque religati extenderentur, & conuellerentur, ut cenſet Sigonius; ſiue quod veriſimilius eſt, craſſioribus quidem funibus hominem in equuleo extenſum, & diſtractum (nam fides, & funiculi facile diſrupti fuiſſent) ſed brachiorum, pedumque, ac genuum iuncturas, fidiculis arctiſſime colligatas, cum ut nodi ipſius tormento vinctus cruciaretur, tum membra ipſa compreſſione tumeſcentia, atrocius ungulis foderentur, & lacerarentur.

Reſtat igitur, ut quid ungulæ fuerint diſpiciamus, nam hæ, & fidiculæ, & laminæ candentes, ferme equulei comites fuerunt. D. Cyprianus in epiſt. ad Donatum. *Vngula effodiens latera, & detrahens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum, ſupplicia multa.* Et de lapſis. *Nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.* Prudentius in S. Vincentio.

Poſt hinc hiulcis ictibus,
Nudate coſtarum abdita,
Vt per lacunas vulnerum,
Iecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,

Manus

Digitized by Google

Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius,
Intraret artus ungula.

Et in S. Romano.

Scindunt utrumque milites teterrimi,
Mucrone hiulco penſilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta tranſuerſis ſecant.

Ideſt ut ſupra diximus, *charaxant*, ſiue cancellant. Et de S. Hippolyto.

Vngula fixa canis coſtarum cratibus altos
Pandere ſeceſſus, & lacerare iecur.

Nihil aliud igitur fuere ungulæ, quam inſtrumenta ferrea incurua, quæ ungues auium referebant, unde etiam dictæ, quibus ſcilicet diſtenti, tympani inſtar, in equuleo, & fidiculis tumentes artus laniabantur. Et ut Gallonius exiſtimat, inſtar ferrei forcipis, itaut unius ungulæ pars intra aliam bifidam, compreſſu intercepta, membra, & carnem conuelleret, & concerperet. Fuiſſe enim ungulas una parte bifidas Prudentius indicat, cum *hiulcas*, & *biſulcas* appellat. Eædem ſcorpiones dictæ, quia ſcorpionum caudam minantem referrent. Quæ vox paſſim in actis martyrum occurrit.

Petronius Arbiter aliquot locis reſtitutus, & explicatus. Cap. VII.

OMnium elegantiarum Arbitro Petronio, inſtar ſuperbi iuvenis Adonei miſere lacerato, plurimi manus admouerunt, & quidem veluti collatis ex toto Orbe ſymbolis, Germani, Galli, Hiſpani, Belgæ. Ac niſi in Æſculapios incidiſſet, poterat medicorum turba perire. Adeo unuſquiſque urit, ſecat, quidam etiam hinc artis Criticæ audaciam petunt. Itaque poſt tot notas, Obſeruationes, & Commentaria, ſperare ſpicilegia, aut ablegmina improbum votum eſſe videtur. Aliqua nihilominus ſupereſſe, quæ, aut tanquam leuia, à magnis viris prætermiſſa ſunt, aut fortaſſe non intellecta, deinceps oſtendemus.

Et initio quidem, quemadmodum verba illa, de anicula, quæ Encolpium in lupanar duxit, *centonem anus urbana rececit*, non re-

cte

cte Interpretes acceperint, in Commentario de re Veſtiaria oſtendimus, quæ non eſt operæ hic inuertere. Et Scholiaſtes quidem Hiſpanus, ſub Trimalcionis perſona, Neronem deſignari fruſtra contendit. Vera eſt enim eius opinio, qui Quotidiana in Horatium edidit (quicumque demum is eſt, nam eum librum adhuc videre non contigit) Vere, inquam cenſet ſub Trimalcionis ſchema, ditiſſimum, & luxu perditum libertum, fortaſſe ipſius Neronis, deſignari; nam de Mecenate ætas refragatur. Vt quid enim poterat ſenex eſſe Nero, calvus, ſiue raſus, præterea diſpenſator? Neque ita notabilis in Principe luxus, qui in priuato, & in liberto minime ferendus. Stultus labor foret argumenta refellere, quibus deſignari Neronem, credi poſtulat. Non enim veriſimile ait, libertum ſub forma Mercurii effingi. Tale nihil in Petronio, niſi quod Mercurius, cum mento leuatum in tribunal excelſum recipit.

Sed quis ignorat, libertos poſtquam ſeruitutem exuerant, prænomina dominorum aſſumpſiſſe? Atque hinc Trimalcio Gnæus dicitur, fortaſſe ab Gnæo Domitio Nerone. Atqui non pudet Interpretem hoc argumento uti. Prænomen ſignum erat ingenuitatis, non igitur Trimalcio libertus, quia prænomen habet. Quaſi nihil ſeruo, ac liberto interſit. Serui prænomine carebant, illud cum libertate adipiſcebantur, ut propterea blanditiarum cauſa eo compellarentur. Horat. *Quinte puta, aut Publi*. Perſius. *Marco ſpondente recuſas*? & his ſimilia à Turnebo adnotata, quæ oſtendunt ſeruos caruiſſe prænomine, non autem libertos. Quare non minus futilis ratio eſt, Neronem intelligi, quia appellatur *Noſter*, quod ſic vocarentur Imperatores. Nam vox illa familiæ erat, ut *Noſter*, pro domino diceretur, ſiue patre familias.

Præter illa, quæ alii adnotarunt, libertum fuiſſe Trimalcionem, quod caluo capite eſſet, ideſt raſo, *pallio adraſum incluſerat caput*, quo omnes libertos fuiſſe, ſaltem recenti manumiſſione, notum eſt, & ideo ante, ſervus capillatus inducitur. *Et ipſe capillatus caduceum tenebat*, item, *quemadmodum ratiocinari didiciſſet, & factus eſſet diſpenſator*. Quæ in Neronem nullo modo cadere poſſunt. Illud non leue argumentum eſt, quod inter prodigioſi luxus pompam, non ſine cauſa ex duobus annulis, alter ferreus ſubauratus dicitur, alter aureus quidem, ſed ferreis ſtellis ferruminatus. Quum enim annulos aureos geſtare libertus non auderet, ferreum ſubau-

Digitized by Google

ratum, & aureum ferro coloratum geſtat. Plinius: *Nec non & ſeruitia iam ferrum auro cingunt, alia per ſe ſe mero auro decorant, cuius licentiæ origo, nomine ipſo in Samothrace inſtitutum declarat*. Iſti autem, non ſolidi erant, ſed inanes, & vacui: ut ex Lucretio alii adnotarunt. Fruſtra Lipſius *auro decolorant*. Nam vetus lectio proba eſt. Auro enim decorant, nihil aliud eſt, quam ferreos inaurant. Et de Trimalcione nimis multa.

Quod magis ad rem facit, idem à Petronio inducitur, ludens pila *ſparſina* inter pueros capillatos, quod in *ſparſiuam* commutarunt Critici, & de trigonali pila, interpretati ſunt, quę inter ludentes ſpargeretur. Sed præter vocem Latino Cęlo incognitam, qui pilæ ludum apud veteres deſcripſerunt, nullum huic commento, ac ſparſioni locum fecerunt. Nec enim plures pilæ ſimul ſpargebantur, ſed unam tantum dextra, ac ſiniſtra, luſu expellente, vibrabant. Nec dubium *Praſina*, pro ſparſina legendum eſſe. Hoc enim ad reliquas Trimalcionis lautitias accedebat, ut etiam pilæ color non vulgaris eſſet, ſed praſinus, quo etiam colore familiam cultam Trimalcio habebat. Infra. *In aditu ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus, cingulo ceraſino ſuccinctus*. Siue quod dominus Praſinæ factioni Circenſi faueret, ſiue aliam ob cauſam. Tales igitur & pilæ.

Vir doctiſſimus ad Lampridium notauit, omnes pilas trigonales, vitrei coloris fuiſſe, ideſt viridis, & Praſino affinis. Ad quod veterem Inſcriptionem adducit. *Vrſus togatus vitrea qui primus pila Luſi decenter, cum meis luſoribus*. Sed fuerint vitrei coloris omnes pilæ trigonales, quod tamen gratis ponitur: quid eſt, quod Vrſus, primus vitrea luſiſſe pila dicitur? Num ante ipſum nullus pilæ trigonalis uſus? Vitream ergo pilam, ibi vere vitream fuiſſe credibile eſt, huncque novum ab Vrſo ludum excogitatum. Et ſiue Togatus cognomen fuit, ſiue à togato luſum eſſe, cum alii, aut tunicati, aut nudi in ſpheriſterio luderent. De quibus alias.

Alia in Petronio explicata, & emendata. *Cap. VII.*

VErba illa de Alexandrinis pueris, in conuiuio Trimalcionis, miniſtrantibus, aliiſque inſequentibus ad pedes, *ac paropſidia ingenti ſubtilitate tollentibus*, ſicco pede, Interpretes ita ſta-

tum.

runt. Vouerius modo veterem Gloſſam affert, *παρώνυχια Redubia*. Hæc nobis ad huius loci explicationem viam aperiet. Eadem Gloſſa. *Reduvia παρωνυχίς*. Feſtus, *Rediuiam* vocat. *Rediuiam*, inquit, *alij reluviem appellant, cum circa ungues, cutis ſe reſoluit, quia luere eſt ſoluere*. Iſidorus in Gloſſis *Redubias*, reliquias interpretatur. Pueri igitur Alexandrini, qui aquam niuatam manibus infuderant, ſequuti conuiuas, poſtquam diſcubuerant, poſt pedum ablutionem, paronychia ingenti ſubtilitate tollebant, ideſt reduviam, ſiue abſceſſum cutis, quæ ſe circa ungues ſoluit. Subtilitate autem, pro dexteritate uſurpat Petronius etiam alibi. *Vim morbi monſtrata ſubtilitate lenire*.

Eorum quoque verborum. *Quid ille alter die, qui tanquam toga virilis, ſtolam ſumpſit?* Senſus quidem apertus eſt, ſed ordo luxatus, & unius voculæ adiectione ſanari poteſt. *Quid ille alter, qui die toga virilis, ſtolam tanquam togam ſumpſit?* Aſciltos enim quod Cicero M. Anlonio obiecit, pro toga virili ſtolam ſumpſerat, ne unquam vir eſſet. Forte autem librarij, *togam* omiſerant, quod illa vocis repetitio, non ſatis elegans videretur. Ciceronis Philip. II. in vulgatis verba ſunt. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti*. Hieron. Ferrarius, quem Philippicarum accuratiſſimum caſtigatorem, appellat Cuiacius in Obſeruationibus, optime emendauit. *Sumpſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti*, quod meretrices in toga. Paulo poſt. *Sed cito Curio interuenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit, & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, ac certo locauit*. Iocoſe uxorem duxit, nam ſtolam matronarum fuiſſe quis neſcit? Si ergo ſtolam ſumpſiſſet, non erat opus ut eam à Curione acciperet. Ferrarium ſequutus eſt Manutius.

Quid autem ſit, quod proxime ſequitur. *Cuius anni ad teſſeram venerunt*, diuinandum eſt. Nam quod alii de ſymbola, ac teſſera conuiuali, alii de teſſeris, & alea interpretantur, ferri non poteſt. Plura fuiſſe teſſerarum genera nemo ignorat: item ab Imperatoribus, ſparſionem in populum frequenter factam, ut aliquando res ipſæ ſpargerentur, nummi, veſtes, edulia: ſæpius autem teſſeræ, ſiue ut Dio vocat, globuli lignei, in quibus inſcripta erant varia miſſilium genera, aurum, frumentum, veſtes, equi, mancipia, inſulæ. Sciui ergo, puerique formoſi per eiuſmodi teſſeras inter-

Digitized by Google

dum domabantur, ex quo factum ſuſpicor, ipſum Gitonem auctoraſſe ætatulam ſuam, & per teſſeram alicui contigiſſe, à quo voluptatis mercede liber factus ſit. Infra, *ſtupro liber, ſtupro ingenuus.* Sed hoc fortaſſe cæterorum interpretatione nihilo melius eſt.

Poſt multa: *Incluſus ego ſuſpendio vitam finire, conſtitui; & iam ſemicinctio ſtanti ad parietem, ſpondam iunxeram*, quæ pro deploratis, & depoſitis habentur, Hiſpanus Interpres ſic corrigit. *Et iam ſemicinctio, ſtantem ad parietem ſpondam vinxeram.* Vult enim Encolpium grabatum erexiſſe, ut inde penderet, quod infra diuerſitor ait, *Quis autem grabatum illum erexit?* Et grabatum quidem ad hoc erectum fuiſſe, ut inde ſe ſuſpenderet, verum eſt, ſed ea emendatione non eſt opus: cur enim ſpondam ſemicinctio vinxerat? Omnino legendum. *Et iam ſemicinctium, ſtanti ad parietem ſponda, iunxeram.* Nam ſponda, aliquæ editiones rectè habent.

Conſtituerat Encolpius laqueo ſpiritum intercludere, ſemicinctium, ſiue zonam, ac faſciam, pro laqueo aptat: neque in eo cubiculo quidquam erat, ubi illa altiori loco necteretur, non clauus, non tigillum. Ita lectulum in pedes erigit, ſpondæque ſic erectæ, ſiue ad parietem ſtanti, ſemicinctio informem nodum iungit, unde ſpiritum includeret. Sed ſi erectus grabatus fuit, quomodo in lectum præcipitari à Gitone introeunte Encolpius potuit? Lectum aiunt, nihil aliud fuiſſe, quam lodices, & ſtromata, quæ de lecto deciderant. Quæ mera ludificatio eſt. Nam de alio lectulo Petronius capiendus eſt. Cum enim eadem cella ipſis pro triclinio fuiſſet, tres, aut duos ſaltem lectulos fuiſſe, in quibus diſcumberent, credibile eſt; & ideo de Eumolpo, qui in cellam venerat: *ille ut ſe in grabatum reiecit.*

Non dubie, licet paulo diuerſa ratione Petronij locum Apuleius expreſſit, in primo Mileſiorum; ubi de Ariſtomene, eodem genere leti, ad mortem feſtinante, hæc habet. *Sed cum, nullum aliud telum mortiferum, fortuna, quam ſolum mihi grabatulum, ſubminiſtraret, reſtim, qua erat intextus, aggredior expedire, ac tigillo, quod feneſtra ſubditum altrinſecus prominebat, iniecta, atque obaſſa parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, aſcenſo grabatulo, ad exitium ſublimatus, immiſſo capite laqueum induo.* Huic non fuit neceſſe, grabatum erigere, unde laqueum necteret, nam grabati

loco

Digitized by Google

loco tigillum fuit, ſemicinctii autem vicem reſtis præbuit, qua grabatus intextus.

Sed antequam Petronium mittam, unum etiam, & alterum, bona lectoris venia, tangam. *Et me quidem pueri*, ait Eumolpus, *tanquam inſanum, imitatione petulantiſſima irriſerunt.* Quæ fuerit iſta procax deriſio, à Perſij ſcholiaſte, diſcere Interpretes potes erant, ad illud, *O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit.* Vbi tria ſannarum genera expreſſiſſe Perſium notat. Ex quibus ſecundo loco fuiſſe ait, *auriculas Aſini imitari. Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.* Qua ſanna ſtultos irrideri ſolitos obſeruat, appoſito temporibus pollice, reliquis digitis erectis, Aſini aures referentibus. Hinc pueri poetam deridentes, admotis capiti manibus, effictis Aſini auribus, quæ albo pilo intus veſtitæ, pro inſano traducebant. Quo plauſu id genus hominum vulgo excipiebatur.

Neque illud aniculæ expiatricis prætermittendum eſt. *Vides, quod alijs leporem excitaui?* Nam eruditi fruſtra vexarunt, *& alis leporem excitare*, obtruſerunt: neſcio quid de obſcæno leporis ſenſu commenti. Quaſi vero, etiam ſi pars illa lepus diceretur, poſſent alæ leporibus affigi. Locus Iuvenalis, tam facit ad hanc rem, quam alæ ad leporem, & quicquid ibi ex Italis poetis inepte concinnarunt. Vetus lectio in re improba, proba eſt, quam viſam docti recipere timuerunt. Qui enim in venatione, e cubili leporem excitat, non ſibi illum ſuſcitat, ſed ei, à quo capitur, vel occiditur. Sic vetula illa ſtantem faſcini laciniam, neruoſque imperio obſequentes, non ſibi, ſed deluſæ Circi, uſui, ac pulpamento futuros, excitauerat. Id Ouidii verba à viris doctis adducta, euincunt.

Credula ſi fueris, alia tua gaudia carpent,
Et lepus hic alijs exagitatus erit.

At illud

Ecce Afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrumque renidens,
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ turbant cenſum.

ſedulum lectorem morari poteſt. Et Hiſpani quidem Interpretis ſententia, & correctio, nec digna quidem erat, quæ refutaretur, *Minitatur vilibus auro.* Nam ut auro pretioſior citrea menſa fuerit,

poſset. Atqui ſigna cohortium, præcipue Herodiani ætate, habebant imagines Imperatorumque ex auro, aut argento, & alia præterea ornamenta, & ideo grauia, & difficilia portatu. Fuiſse autem additas ſignis Cæſarum imagines docuit Lipſius ad Tacitum, ſcilicet pectore tenus, & clypei inſtar in orbem ductas. Vnde eleganter Tertullianus, in ſignis, *imaginum ſuggeſtus* (cum altera alteri impoſita eſset) *monilia crucium* dixit, ſicut *ſuppara*, ſiue vela, *earundem ſtolas*. Sueton. Caligula XIV. *Artabanus tranſgreſſus Euphratem, Aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adorauit*. Tacitus L. XV. *Agmina legionum ſtetere fulgentibus Aquilis, ſigniſque & ſimulacris deûm in modum templi*. Hæret Lipſius, cur ſimulacris deûm, dixerit. Cum ſimulacra deorum appoſita non conſtet. Sed fortaſse in aliquibus ſignis, imagines Iulii Cæſaris, aut Auguſti, aut aliorum, qui inter diuos relati: aut quo inclinat Lipſius, ad ornatum, in eodem loco, etiam ſtatuas deorum adhibitas, & diſpoſitas fuiſse.

De Equuleo, & quale tormenti genus fuerit. *Cap. V.*

EQuuleum initio fuiſſe inſtrumentum, ad torquendum, & eliciendam veritatem, poſtea ad diſcruciandos reos, præcipue martyres tranſlatum eſſe conſtat. Sed quale illud fuerit, adhuc à viris doctiſſimis dubitatur. Tres præcipue de Equuleo ſcripſerunt: Hieronymus Magius, Carolus Sigonius, & Antonius Gallonius. Primus vir eruditus, atque editis operibus celebris, machiniſque bellicis inueniendis ſolerti ingenio, cum muniendarum Vrbium artem inter paucos calleret, Turcis Cyprum inſulam inuadentibus, egregiam Venetę Reip. operam nauauit, & in Famaguſtæ obſidione, nouis quotidie inuentis, magna hoſtibus detrimenta intulit, eorumque conatus, ac multorum dierum labores, facili negotio eluſit. Capta tandem Vrbe, Chriſtianiſque per ſummam perfidiam aut interfectis immaniſſime, aut in captiuitatem abductis, Magius cuidam Turcæ Trierarcho ſeruus addictus eſt, à quo immaniter habitus, cum reliqua mancipiorum turba Bizantij degebat. Quo tempore, omni librorum auxilio deſtitutus, nocturnis horis, cum ceteri quieſcerent, duos libros compoſuit, unum de Tintinnabulis,

Digitized by Google

lis, de Equuleo alterum, huncque Francorum Regis Legato, illum Cæſaris Oratori inſcripſit, quorum ope, ac liberalitate imminens exitium ſe vitaturum ſperabat. Turcæ enim homini, per quem tot clades in Vrbis obſidione acceperant, extrema quæque minitabantur. Sed ea fati inclementia fuit, ut Legati eum peſti eripere, aut noluerint, aut nequiuerint. Barbari enim iniecto laqueo gulam in carcere fregerunt.

Ergo in eo libello, quem tumultuarie, & ſola memoria nixus conſcripſit, Equuleum dictum cenſet, quod parui equi, ſiue pulli equini effigiem referret, qua ratione Itali lectorum fulcra, quæ quaternis pedibus innituntur, *Cavaletti*, appellant, item ſcamna quibus tubi grandiores ſuſtentantur. Refutat deinde Laurentii Vallæ opinionem, qui fidiculas eandem rem cum Equuleo facit, & confectas ex duobus lignis obliquatis cenſet: Tum Raphaelem Volateranum, qui Equuleum fuiſse exiſtimat, quod vulgo funis, ſiue chordæ tormentum dicitur: cum noxius reuinctis poſt terga manibus, fune per cochleam in ſublime attollitur, ac demittitur, quaſsaturque. In qua opinione fuiſse Alciatum & Cardanum dicit. Credit ergo Equuleum fuiſse ligneum ſcamnum, ſeu ligneam arcam, quatuor pedibus ſubnixam, ſine fundo, quæ utrinque capiebat timpana, & funes, quibus manus pedeſque obligabantur, ut corpus extenderetur. Reliqua deſiderantur.

At Carolus Sigonius de Iudiciis Lib. III. 17. cenſet Equuleum fuiſse cataſtam ligneam cochleatam, ad intendendum, & remittendum aptam, torquendis noxiis, & exprimendæ veritati. *Tormenti vero genus erat*, inquit, *huiuſmodi. Vbi cataſta huic brachia, pedeſque eius, qui torquendus erat, neruis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligauerant, tum cataſta intenta, atque in altum erecta, ut ex ea, quaſi ex cruce, miſer ille penderet, primum compagem ipſam oſſium illius diuellebant, deinde candentibus laminis, & ungulis ferreis, laniatis lateribus, doloris acerbitatem augebant.* Quod in altum erigi ſoleret probat ex Sozomeno Lib. v. *Et cum ad tortorium lignum adduxiſſet, in ſublime tolli iuſsit.* Prudentius de S. Vincentio.

Corpus equuleo eminus pendere.

Et paulo poſt.

Iubet amiciri noxialem ſtipitem.

Plebeia,

Plebeia, clarum, pœna ne daret virum.

Mox ab alto ligno pependiſſe oſtendit, cum ait.

Emitto vocem de cataſta celſior.

Quod autem ea machina cochleata eſſet, Pomponius vetus poeta apud Nonium,

Et ubi inſilui in cochleatum equuleum,
Ibi tollutim tortor.

ideſt torqueor. Quod brachiis, pedibuſque, fidicularum nexu, equuleo alligatis, diſtentus Equuleus, oſſium commiſſuras, cum dolore diſtraxerit, ex eodem Prudentio patere.

Vinctum retortis brachijs ſurſum, ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium,
Divulſa membratim crepet.

Et de D. Romano.

Miſerum putatis, quod retortis pendeo,
Extentis vlnis, quod reuelluntur pedes,
Compago neruis, quod ſonat crepantibus.

Subiicit Sigonius ex Euſebio, equuleum fuiſſe, cum ad quintum foramen crura extenderentur.

Poſt Sigonium Antonius Gallonius, in libro de S. S. Martyrum cruciatibus, de Equuleo diſputauit Cap. III. Vbi poſtquam Sigonii opinionem attulit, in eorum ſententiam concedit, fuiſſe machinam ad equi ſimilitudinem fabricatam, cum duabus rotulis, in extremis, excauatiſque eius partibus, poſitis, quæ quidem per axiculos, ductorijs funiculis traiectis verſabantur, unde fiebat, ut rei illis alligati, varie excruciarentur, atque diſtenderentur. Conſueuiſſe autem veteres hoc modo equuleum conſtruere; *Præparabant ſtipitem rectum, longitudinis, latitudiniſque conuenientis, in cuius extremis partibus excauatis, duas rotulas, quæ per axiculos verti poterant: deinde quatuor pedes ſubijciebant, ut formam equi referret. Cui*, inquit, *torquendus ſupinus imponebatur, pedibus vinctis, & manibus poſt tergum religatis: deinde tortores, per machinulam ad equulei pedes fixam, reis corpus extendebant, à capite, & à pedibus machinam vertentes. Aliquando laxatis funiculis in curvum, ac penaulum ſub equuleo cadere ſinebant*. Hactenus Gallonius.

Quod machina illa tortoria inſtar equi, ſiue equulei fabricata eſſet, cum Magio, & Pamelio ſentit Gallonius, vel uno Pompo-

nij

nij teſtimonio ſupra adducto. *Et ubi inſiluit in cochleatum equuleum, ibi tollutim tortor.* Sed quod ſupinos iacuiſse credit, quia D. Hieron. Ep. XLIX. ait. *Equuleo tortos, oculos in Cælum tenuiſſe,* & Seneca. *Vtrum aliquis in gaudio ſit, & in equuleo iaceat*; Id nequaquam fieri potuiſse videtur, ſed cum in equuleum inſiluiſsent, more equitantium, diſpeſsis cruribus inſediſse, & cum retro brachia conuellerentur, nonniſi curuos ſtetiſse. Nam apud Senecam, non, *iaceat*, ſed *taceat*, legendum eſse Muretus indicauit. Nam fuiſse manus poſt tergum religatos idem fatetur ex Euſebio Lib. VIII. 2. *Quidam enim primum manibus à tergo colligatis, ligno appenſi, & machinis quibuſdam, membra eorum uniuerſa diſtenta, diſtractaque.*

Quod autem laxatis funiculis noxii incuruatis corporibus ſub equulei machinam cadere ſinerentur, probat ex Ammiano Marcellino Lib. XVI. *Innocentes tortoribus expoſuit multos, & ſub equuleo cæpit incurvos.* Et Lib. XVIII. *Quanquam incurvus ſub equuleo ſtaret, erecta tamen facie Cælum verſus.* Sed hæc indicant potius ſtetiſse in equuleo incurvos, cum funes intenti eſsent, & non cum laxarentur. Nam intentio illa, qua brachia, retro ſurſum trahebantur, cogebat incurvos ſtare, qui equuleo inſidebant, cum & pedes rotulis deorſum reuellerentur, ut in tormento funis ductarij videmus. Itaque vix capio quomodo apud Ammianum incurvus ille ſub equuleo erecta facie Cœlum verſus eſse poſſet: niſi intelligit modice ceruicem deflexam; maior in eo difficultas eſt, & quidem non una, quomodo aliquis equuleo inſidens, ſiue inequitans, dicatur ſtare ſub equuleo: deinde quod ſæpe in Actis Martyrum occurrit, appendi, vel ſuſpendi in equuleo. *Adduxit in conſpectum ſuum equuleum, & iuſſit ſuſpendi in eo Creſcentianum.* Et de S. Thecla. *Qui cum pendendo in equuleo extenſus, ſe Chriſtianum eſſe pronunciaret.* Quibus inductus Carraciolus exiſtimat, equuleum fuiſse unum tantum ſtipitem erectum, ſiue ut Tertullianus in Apologetico loquitur, *Erecta ſtatione defixum*, & cochleatum, ad quem manibus, pedibuſque reuinctum hominis corpus ſurſum, ac deorſum, eodem tempore, tortoris arbitrio diſtendebatur. Nam Prudentius loco ſupra adducto.

Miſerum putatis, quod retortus pendeo, extentus ulnis;

Et de S. Vincentio.

Vinctum, ac retortum brachijs, ſurſum, ac deorſum extendite. Euſebius L. 1. *Quidam manibus à tergo ligatis, ligno appenſi.* Paulinus de vita S. Martini, *Porrecti robore ligni.* In actis Martyrum, *In equuleo ſuſpenſi: in equuleum leuatus.*

Ex quibus etiam apparet, manibus à tergo ligatis, ideſt non hinc inde diſtractis, ſed retro vinctis appenſos, ut iunctis pedibus inferne diſtenderentur. Acta tergeminorum fratrum apud Adonem XIII. Ianuarij. *Ligatis manibus ſurſum, ac pedibus inſum.* Si in equuleo reus ſupinus iacuiſset, ſcilicet in trabe oblonga quatuor pedibus ſuffulta, ut vult Gallonius, quomodo ſurſum, ac deorſum diſtrahi potuiſset? Multo minus ſi in cataſta, quæ eſt opinio Sigonii, nam cataſtam ipſam fuiſse erectam, qui fieri potuit cum tabulatum, ſiue pegma eſset? Itaque Caraccioli opinio probabilior videtur, fuiſse equuleum erectum ſtipitem, ita enim intelligimus, quo modo homines in equuleo ſuſpenderentur, ideſt in erecto ſtipite: quomodo ſtarent ſub equuleo incurui apud Ammianum, nam cum eſsent brachia retro alligata, ut in tormento trochleæ, ſiue funis tortorii, reductis, ac reuulſis brachiis, homo rectus ſtare non poterat.

Obſtat modo vox equulei: nulla enim erecti ſtipitis cum equuleo ſimilitudo. Nam quod ait Caracciolus, equuleum per C, non per Q, ſcribendum eſſe, utroque modo ſcriptum ſcimus: quod vero ſubiicit, eculeum dictum, quia culeum, ideſt corium, ſiue pellem valide ea machina extenderet, ineptum eſt: nunquam enim culeus pro hominis pelle, ſed pro utre, hoc eſt ſacco ex corio accipitur: nec pellis modo, ſed totum corpus extendebatur. Obſtat etiam illud veteris poetæ, *Cum in cochleatum equuleum inſilui*, quod de equo proprium, *ibi ſuccuſſim tortor*, non volubiliter torqueor, ut Nonius explicat, ſed ſuccutior, ideſt modo in altum tollor, modo contrario niſu deprimor, quod faciunt qui equo ſuccuſſatori inſident, Itali *trottare* a *quadrupedare*, ut in Originibus diximus.

Hæc omnia credere nos cogunt, aut non unam equulei formam apud veteres fuiſſe; aut ita compactum, ut ex duplici ligno conſtaret, ſtipite ſcilicet erecto, & altero ligno ad medium appoſito, eoque quatuor pedibus innixo, cui torquendus inſideret, illinc brachiis ſurſum, hinc pedibus deorſum extenderetur, & pars illa quā

ſecuimus,

ſedemus, acuto tranſuerſi ſtipitis dorſo, diffinderetur. Alia ratione diuerſa ſcriptorum loca conciliari non poſſunt. Prudentius de coronis: in S. Romano.

Incenſus his Aſclepiades iuſſerat,
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
Pendere, & uncis, vinculiſque creſcere.
Apparitores ſed furenti ſuggerunt,
Illum vetuſta nobilem proſapia,
Meritiſque multis eſſe primum ciuium,
Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne damnet virum.

Apud Paulinum *Robora ſurſum porrecti ligni*, certe eſt ſtipes erectus, ex quo pendens incurvus ſtare ſub equuleo Ammiano dicitur, ſicut *ſub equuleo multos capit incurvos* apud eundem. Nam equuleo inſidentis brachia ſurſum trahi non poterant, niſi retro ſtipes erectus fuiſſet, cui impoſita trochlea, per quam funis retro vincta brachia ſurſum trahebantur, ſicut altera machina infra equuleum poſita, pedes deorſum reuellebantur. Nam quod Pamelius ad Cyprianum exiſtimat reos in equuleum coniectos ex Cicerone v. Tuſcul. næ ille non equuleum, ſed equum Troianum comminiſcitur. Non ibi Cicero de reo loquitur, qui in equuleum coniiceretur. Verba eius ſunt. *Nam etiam in tormentis recte, honeſte, laudabiliter* (beate viuere) *hac etiam in equuleum conÿciuntur, quo vita non adſpirat beata.* Hoc eſt, iſta durant etiam in equuleo, ſi mittantur in equuleum, perſeuerant. Quomodo enim in equum coniectus extendi potuiſſet, niſi ut in tauro Perilli igne ſubiecto torquebatur. Coniici igitur idem eſt quod infra Cicero ait, *ire in equuleum, & imponi equuleo.* Quomodo in equuleum coniectus, inſilire in eum dici poterat?

Quam dirum autem, & crudele tormenti genus illud eſſet, præter illa Prudentij.

Vinctum retortis brachÿs ſurſum, ac deorſum extendite,
Compago donec oſſium diuulſa membratim crepet:

Et, *Compago neruis, quod ſonat crepantibus.*

Vel unus Silius teſtis fuerit L. I. ubi equuleo tortum Regis Hiſpanorum ſeruum deſcribens, ait. Ferum viſu, dictuque, per artem ſæuitiæ, extendi, quantum tormenta iubebant,

Creverunt artus, atque omni ſanguine rapto
Oſſa liquefactis fumarunt fervida membris.

De Compede, fidiculis, & ungulis. Cap. VI.

HAud ita recte Sigonius, equuleum cum cataſta confundit, quodque abſurdius eſt, cum genere illo compedum, quo damnati in carcere poſiti, inſertis ad quartum, vel quintum foramen pedibus, torquebantur. Ait quidem Romanus martyr in equuleo apud Prudentium,

Emitto vocem de cataſta celſior,

non tamen ſequitur eandem rem fuiſſe, ſed quod equulei in Cataſta conſtituebantur, quo conſpectiores pœnæ, & ſupplicia forent. Nec aliud fuit cataſta, quam ligneum tabulatum, ſiue ſuggeſtus, & pegma, Itali, *Palco*, in quo etiam hodie ſupplicia ſumuntur. Et in cataſta quidam olim expoſitos ſeruos venales fuiſſe, ut melius ab emptoribus inſpici, & conſiderari poſſent, notum eſt. Præcipue ex Caſaubono ad Perſium Sat. VI. quem nuperi exſcripſerunt. Sed quod ait, in ædibus etiam fuiſſe cataſtas quas vocat Martialis, arcanas,

Inſpexit molles pueros, oculiſque comedit,
Non hos quos primæ proſtituere caſæ,
Sed quos arcanæ ſeruant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Non video ad quid iis cataſtis in domo opus fuerit. Verum tabulata arcanæ cataſtæ, fuerunt in ipſa publica cataſta, vel ſub ipſa recondita ſepta, in quibus pueri venales pretioſiores ſeruabantur, ne turbæ oculis proſtituerentur: ſublimis enim cataſta ſub ſe, vel in proximo, huiuſmodi tabulata recondita habebat, ut hodie etiam in officinis in receſſu pretioſæ merces ſeruantur. Porro illud apud Q. Ciceronem de petit. Conſ. *Amicam emere de machinis*, idem eſt, ac de cataſta, non quod cenſet Turnebus L. XXV. 4. in ergaſtulo, vel in piſtrino compeditam, vel in cataſta alligatam ad machinam: ſoluti enim venalitii in machina, ſiue cataſta, fuerunt, & amica de machina, eſt venale mancipium de cataſta.

Et Prudentius quidem de S. Laurentio martyre ait.

Poſtquam vapor diutinus

Decoxit

Digitized by Google

Decoxit exuſtum latus,
Vltro è cataſta Iudicem
Compellat affatu breui.

Siue quod craticula ſuper cataſtam poſita erat, loco eminenti, & conſpicuo, laminis ferreis ſubiectis, ne tabulatum ureretur, ſiue quod ipſa crates cataſtæ, & pegmatis ſpeciem, altius euecta, referret, nam alibi de Coronis idem ait,

Verberum poſt vim
Crepantum, poſt cataſtas igneas.

Addit Sigonius mirari neminem debere quod machinam ad torquendum paratam, quæ vulgo equuleus dicebatur, cataſtam appellarint, in Martyrologijs enim ſæpe legi, in cataſtam martyres fuiſſe impoſitos. Sed ut diximus, quia equulei cataſtæ imponebantur, & in cataſta martyres equuleo torquebantur, non quod equuleus cataſta eſſet. Et ideo cataſtas igneas poeta vocat, crates in quibus martyres torrebantur, quia cataſtæ impoſitæ, vel cataſtæ figuram referrent.

Ceterum Sigonius Baronium erroris ſocium habet, qui cataſtam, ligneam compedem interpretatur. De compede idem Prudentius in S. Vincentio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

In hoc barathrum conijcit,
Truculentus hoſtis martyrem,
Lignoque plantas inſerit,
Diuaricatis cruribus.

Euſebius Hiſt. Eccleſ. L. VIII. 11. illud de crurum diuaricatione ſic explicat. *Nonnulli poſt verbera in compedibus ligneis poſiti erant, ut pedes alter ab altero, ad quartum foramen diſtenti eſſent.* Quod tormentum adeo crudele erat, ut idem ſubiiciat, iacuiſſe ſupinos. Eius ergo forma hæc erat, ut in trabe diuerſa foramina eſſent, quibus pedes inſererentur, ut modo ad quartum, modo ad quintum foramen, intruſis, ac diuaricatis cruribus extenderentur, & diſtraherentur. Quod tormenti genus Metaphraſtes *cippum* appellat in vita S. Luciani. *Eſt autem,* inquit, *lignum oblongum, cui ambos eius pedes immittebant, diſtrahentes ad quatuor foramina: quod quidem eſt in hoc ſupplicio grauiſſimum, nam coxendices violenter à ſuis mouentur articulis.* Diuerſus igitur à compede Equuleus fuit. Sicuti cataſta à compede, contra ſententiam Philandri ad Vitruuium

L. VIII.

L. VIII. 4. & Had. Iunium L. v. Aduerſ. 14.

Sequuntur fidiculæ, de quibus eruditi contendunt. Illud certum eſt, ferme cum Equuleo, à ſcriptoribus coniungi. Val. Maximus L. III. c. 3. *In Theodoro quoque Hieronymus Tyrannus tortorum manus fruſtra fatigauit, rupit enim verbera, fidiculas laxauit, ſoluit equuleum, laminaſque extinxit, priuſquam efficeret, ut Tyrannicidij conſcios indicaret.* Quintilianus Declamat. ultima. *Ideo enim equuleum mouebam artifex ſenex, tenebam fidiculas ratione ſæuitiæ, ut leniter ſedibus ſuis remota compage, per ſingulos artus membra laxaret.* Quare Magius, idem fuiſſe fidiculas & equuleum credidit. At Sigonius ait, torquendi brachia, pedeſque neruis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligatos, & catasta intenta compagem oſſium divulſam. Ante Sigonium Laur. Valla Lib. I. eleg. Fidiculas eſſe putauit inſtrumentum compactum ex duobus obliquatis lignis, quo diſtrahebantur ſontes, appellatum vel ab extorquenda fide (in quo fallitur) vel à neruεis funibus, & vinculis, quibus cruciandi alligabantur: fides enim ſunt funiculi, ſiue chordæ inſtrumentorum muſicorum, quod certum eſt.

Sigonium reprehendit Gallonius, ipſe caſtigatione dignus, qui cum Iſidoro putat fidiculas, & ungulas idem tormentum fuiſſe. *Vngulæ*, inquit Iſidorus, *dictæ, quod effodiant, eæ, & fidiculæ, quia illis rei in equuleo torquentur, ut fides inueniatur*. Quæ præter rem ſunt, licet eum Baronius, & Cerda ſequantur quodque nollem, etiam vir ſummus in Etymologico. Veriſimilius enim hoc eſſe, quum ſi inde nomen arceſſatur, quod ſontes funibus, veluti fidibus diſtendantur: quæ notatio etiam falſa eſt ut infra dicemus. Nam fidiculas ab eliciendα fide denominatas mera ſomnia ſunt, ut à fodiendo, quaſi *fodiculas*, ut Biſciola, vel à findendo, quaſi *findiculas*, ut ipſe Gallonius. Fuiſſe enim chordas, ſiue funiculos, à muſicis fidibus dictos certum eſt ex verbis Valerii, laxauit fidiculas, ideſt adſtrictos funiculos. Sed certius ex Suetonio, qui de Tiberio ait. *Excogitauerat inter cetera genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum ſimul, & urinæ tormento diſtenderet*. Vbi duplex tormentum, detentio urinæ, & arctè ſtringentium fidicularum dolor.

Sed Gallonius adducit locum Prudentii in S. Romano, qui videtur indicare fidiculas eſſe ungulas. Nam Aſclepiades Iudex iubet

bet carnificem vertere ictum in os loquentis, *inque maxillas manum, ſulcoſque acutos, & fidiculas transferre, verboſitatis ut rumperetur locus*. Deinde ſequitur.

> *Implet iubentis dicta lictor improbus,*
> *Charaxat ambas ungulis ſcribentibus*
> *Genas, cruentis & faciem ſecat notis.*

Hoc tamen non indicat, fidiculas fuiſſe ungulas. Sed quia, antequam ungulæ membrum aliquod lacerarent, prius illud fidiculis, ſiue nerueis funiculis arctiſſime ligabatur, ut intumeſcens pars illa, ſæuius laceraretur, ut fit in ſanguinis emiſſione, cum brachium prius arctiſſimo nodo conſtringitur. Eodem modo lictor iuſſus ungulis faciem lacerare, in eam fidiculas transfert, quibus genæ conſtrictæ intumeſcerent, deinde ſic turgidas, & inflatas ungulis ſecat, & charaxat, ideſt per faciem ſulcos recte, & tranſuerſe ducens, ut olim ſtylo in tabulis ceratis, hodie calamo, ſcripta delentur, ſiue ut vulgo loquitur, cancellantur.

Non eſt ergo dubium fidiculas fuiſſe neruos, ſiue funiculos, ut iis in equuleo brachia, pedeſque religati extenderentur, & conuellerentur, ut cenſet Sigonius: ſiue quod veriſimilius eſt, craſſioribus quidem funibus hominem in equuleo extenſum, & diſtractum (nam fides, & funiculi facile diſrupti fuiſſent) ſed brachiorum, pedumque, ac genuum iuncturas, fidiculis arctiſſime colligatas, cum ut nodi ipſius tormento vinctus cruciaretur, tum membra ipſa compreſſione tumeſcentia, atrocius ungulis foderentur, & lacerarentur.

Reſtat igitur, ut quid ungulæ fuerint diſpiciamus, nam hæ, & fidiculæ, & laminæ candentes, ferme equulei comites fuerunt. D. Cyprianus in epiſt. ad Donatum. *Vngula effodiens latera, & detrahens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum, ſupplicia multa.* Et de lapſis. *Nunc flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.* Prudentius in S. Vincentio.

> *Poſt hinc hiulcis ictibus,*
> *Nudate coſtarum abdita,*
> *Vt per lacunas vulnerum,*
> *Iecur retectum palpitet.*
> *Ridebat hæc miles Dei,*

Manus

cte Interpretes acceperint, in Commentario de re Veſtiaria oſtendimus, quæ non eſt operæ hic inuertere. Et Scholiaſtes quidem Hiſpanus, ſub Trimalcionis perſona, Neronem deſignari fruſtra contendit. Vera eſt enim eius opinio, qui Quotidiana in Horatium edidit (quicumque demum is eſt, nam eum librum adhuc videre non contigit) Vere, inquam cenſet ſub Trimalcionis ſchema, ditiſſimum, & luxu perditum libertum, fortaſſe ipſius Neronis, deſignari: nam de Mecenate ætas refragatur. Vt quid enim poterat ſenex eſſe Nero, calvus, ſiue raſus, præterea diſpenſator? Neque ita notabilis in Principe luxus, qui in priuato, & in liberto minime ferendus. Stultus labor foret argumenta refellere, quibus deſignari Neronem, credi poſtulat. Non enim veriſimile ait, libertum ſub forma Mercurii effingi. Tale nihil in Petronio, niſi quod Mercurius, eum mento leuatum in tribunal excelſum recipit.

Sed quis ignorat, libertos poſtquam ſeruitutem exuerant, prænomina dominorum aſſumpſiſſe? Atque hinc Trimalcio Gnæus dicitur, fortaſſe ab Gnæo Domitio Nerone. Atqui non pudet Interpretem hoc argumento uti. Prænomen ſignum erat ingenuitatis, non igitur Trimalcio libertus, quia prænomen habet. Quaſi nihil ſeruo, ac liberto interſit. Serui prænomine carebant, illud cum libertate adipiſcebantur, ut propterea blanditiarum cauſa eo compellarentur. Horat. *Quinte puta, aut Publi*. Perſius. *Marco ſpondente recuſas?* & his ſimilia à Turnebo adnotata, quæ oſtendunt ſeruos caruiſſe prænomine, non autem libertos. Quare non minus futilis ratio eſt, Neronem intelligi, quia appellatur *Noſter*, quod ſic vocarentur Imperatores. Nam vox illa familiæ erat, ut *Noſter*, pro domino diceretur, ſiue patre familias.

Præter illa, quæ alii adnotarunt, libertum fuiſſe Trimalcionem, quod caluo capite eſſet, ideſt raſo, *pallio adraſum incluſerat caput*, quo omnes libertos fuiſſe, ſaltem recenti manumiſſione, notum eſt, & ideo ante, ſervus capillatus inducitur. *Et ipſe capillatus caduceum tenebat*, item, *quemadmodum ratiocinari didiciſſet, & factus eſſet diſpenſator*. Quæ in Neronem nullo modo cadere poſſunt. Illud non leue argumentum eſt, quod inter prodigioſi luxus pompam, non ſine cauſa ex duobus annulis, alter ferreus ſubauratus dicitur, alter aureus quidem, ſed ferreis ſtellis ferruminatus. Quum enim annulos aureos geſtare libertus non auderet; ferreum ſubau-

Digitized by Google

runt. Vouerius modo veterem Gloſſam affert, *παρώνυχια Redubia.* Hæc nobis ad huius loci explicationem viam aperiet. Eadem Gloſſa. *Reduuia παρωνυχίς.* Feſtus, *Rediniam* vocat. *Rediniam*, inquit, *alij reluuiem appellant, cum circa ungues, cutis ſe reſoluit, quia luere eſt ſoluere.* Iſidorus in Gloſſis *Redubias*, reliquias interpretatur. Pueri igitur Alexandrini, qui aquam niuatam manibus infuderant, ſequuti conuiuas, poſtquam diſcubuerant, poſt pedum ablutionem, paronychia ingenti ſubtilitate tollebant, ideſt reduuiam, ſiue abſceſſum cutis, quæ ſe circa ungues ſoluit. Subtilitate autem, pro dexteritate uſurpat Petronius etiam alibi. *Vim morbi monſtrata ſubtilitate lenire.*

Eorum quoque verborum. *Quid ille alter die, qui tanquam toga virilis, ſtolam ſumpſit?* Senſus quidem apertus eſt, ſed ordo luxatus, & unius voculæ adiectione ſanari poteſt. *Quid ille alter, qui die toga virilis, ſtolam tanquam togam ſumpſit?* Aſciltos enim quod Cicero M. Antonio obiecit, pro toga virili ſtolam ſumpſerat, ne unquam vir eſſet. Forte autem librarij, *togam* omiſerant, quod illa vocis repetitio, non ſatis elegans videretur. Ciceronis Philip. II. in vulgatis verba ſunt. *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti.* Hieron. Ferrarius, quem Philippicarum accuratiſſimum caſtigatorem, appellat Cuiacius in Obſeruationibus, optime emendauit. *Sumpſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti*, quod meretrices in toga. Paulo poſt. *Sed cito Curio interuenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit, & tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, ac certo locauit.* Iocoſe uxorem duxit, nam ſtolam matronarum fuiſſe quis neſcit? Si ergo ſtolam ſumpſiſſet, non erat opus ut eam à Curione acciperet. Ferrarium ſequutus eſt Manutius.

Quid autem ſit, quod proxime ſequitur. *Cuius anni ad teſſeram venerunt*, diuinandum eſt. Nam quod alii de ſymbola, ac teſſera conuiuali, alii de teſſeris, & alea interpretantur, ferri non poteſt. Plura fuiſſe teſſerarum genera nemo ignorat: item ab Imperatoribus, ſparſionem in populum frequenter factam, ut aliquando res ipſæ ſpargerentur, nummi, veſtes, edulia: ſæpius autem teſſeræ, ſiue ut Dio vocat, globuli lignei, in quibus inſcripta erant varia mobilium genera, aurum, frumentum, veſtes, equi, mancipia, inſulæ. Serui ergo, puerique formoſi per eiuſmodi teſſeras inter-

D 2 dum

dum donabantur, ex quo factum ſuſpicor, ipſum Gitonem auctoraſſe ætatulam ſuam, & per teſſeram alicui contigiſſe, à quo voluptatis mercede liber factus ſit. Infra, *ſtupro liber, ſtupro ingenuus*. Sed hoc fortaſſe cæterorum interpretatione nihilo melius eſt.

Poſt multa: *Incluſus ego ſuſpendio vitam finire, conſtitui; & iam ſemicinctio ſtanti ad parietem, ſpondam iunxeram*, quæ pro deploratis, & depoſitis habentur, Hiſpanus Interpres ſic corrigit. *Et iam ſemicinctio, ſtantem ad parietem ſpondam vinxeram*. Vult enim Encolpium grabatum erexiſſe, ut inde penderet, quod infra diuerſitor ait, *Quis autem grabatum illum erexit?* Et grabatum quidem ad hoc erectum fuiſſe, ut inde ſe ſuſpenderet, verum eſt, ſed ea emendatione non eſt opus: cur enim ſpondam ſemicinctio vinxerat? Omnino legendum. *Et iam ſemicinctium, ſtanti ad parietem ſponda, iunxeram*. Nam *ſponda*, aliquæ editiones rectè habent.

Conſtituerat Encolpius laqueo ſpiritum intercludere, ſemicinctium, ſiue zonam, ac faſciam, pro laqueo aptat: neque in eo cubiculo quidquam erat, ubi illa altiori loco necteretur, non clavus, non tigillum. Ita lectulum in pedes erigit, ſpondæque ſic erectæ, ſiue ad parietem ſtanti, ſemicinctio informem nodum iungit, unde ſpiritum includeret. Sed ſi erectus grabatus fuit, quomodo in lectum præcipitari à Gitone introeunte Encolpius potuit? Lectum aiunt, nihil aliud fuiſſe, quam lodices, & ſtromata, quæ de lecto deciderant. Quæ mera ludificatio eſt. Nam de alio lectulo Petronius capiendus eſt. Cum enim eadem cella ipſis pro triclinio fuiſſet, tres, aut duos ſaltem lectulos fuiſſe, in quibus diſcumberent, credibile eſt; & ideo de Eumolpo, qui in cellam venerat: *ille ut ſe in grabatum reiecit*.

Non dubie, licet paulo diuerſa ratione Petronij locum Apuleius expreſſit, in primo Mileſiorum; ubi de Ariſtomene, eodem genere leti, ad mortem feſtinante, hæc habet: *Sed cum, nullum aliud telum mortiferum, fortuna, quam ſolum mihi grabatulum, ſubminiſtraret, reſtim, qua erat intextus, aggredior expedire, ac tigillo, quod feneſtra ſubditum altrinſecus prominebat, iniecta, atque obdita parte funiculi, & altera firmiter in nodum coacta, aſcenſo grabatulo, ad exitium ſublimatus, immiſſo capite laqueum induo*. Huic non fuit neceſſe, grabatum erigere, unde laqueum necteret, nam grabati

loco

Digitized by Google

loco tigillum fuit, ſemicinctii autem vicem reſtis præbuit, qua grabatus intextus.

Sed antequam Petronium mittam, unum etiam, & alterum, bona lectoris venia, tangam. *Et me quidem pueri*, ait Eumolpus, *tanquam inſanum, imitatione petulantiſſima irriſerunt*. Quæ fuerit iſta procax deriſio, à Perſij ſcholiaſte, diſcere Interpretes potuerant, ad illud, *O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit*. Vbi tria ſannarum genera expreſſiſſe Perſium notat. Ex quibus ſecundo loco fuiſſe ait, *auriculas Aſini imitari*. *Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas*. Qua ſanna ſtultos irrideri ſolitos obſeruat, appoſito temporibus pollice, reliquis digitis erectis, Aſini aures referentibus. Hinc pueri poetam deridentes, admotis capiti manibus, effictis Aſini auribus, quæ albo pilo intus veſtitæ, pro inſano, traducebant. Quo plauſu id genus hominum vulgo excipiebatur.

Neque illud aniculæ expiatricis prætermittendum eſt. *Vides, quod alijs leporem excitaui?* Nam eruditi fruſtra vexarunt, *& alis leporem excitare*, obtruſerunt: neſcio quid de obſcæno leporis ſenſu commenti. Quaſi vero, etiam ſi pars illa lepus diceretur, poſſent alæ leporibus affingi. Locus Iuvenalis, tam facit ad hanc rem, quam alæ ad leporem, & quicquid ibi ex Italis poetis inepte concinnarunt. Vetus lectio in re improba, proba eſt, quam viſam docti recipere timuerunt. Qui enim in venatione, e cubili leporem excitat, non ſibi illum ſuſcitat, ſed ei, à quo capitur, vel occiditur. Sic vetula illa ſtantem faſcini laciniam, neruoſque imperio obſequentes, non ſibi, ſed deluſæ Circi, uſui, ac pulpamento futuros, excitauerat. Id Ouidii verba à viris doctis adducta, euincunt.

Credula ſi fueris, alia tua gaudia carpent,
Et lepus hic alijs exagitatus erit.

At illud

Ecce Afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſeruorum, oſtrumque renidens,
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ turbant cenſum.

ſedulum lectorem morari poteſt. Et Hiſpani quidem Interpretis ſententia, & correctio, nec digna quidem erat, quæ refutaretur, *Mutatur vilibus auro*. Nam ut auro pretioſior citrea menſa fuerit.

& vias, ſomno indulſit, ut quanquam coacta mors, fortuita ſimilis eſſet. Quid ad Taciti mentem faciat, *inire vias*, neminem puto dicere poſſe. Cur non potius *inire viam?* Sed quam, & cur? Moriturus Petronius, ut mors fortuita, & non coacta videretur, omnia vitæ inſtrumenta, & oblectamenta uſurpauit, quæ ferme morituri aſpernantur, ſomnum, epulas, reliqua curando corpori. Itaque & conuiuia frequentauit, & quieti ſe dedit, licet iam inciſis venis, mox & obligatis, fugientem cum ſanguine ſpiritum interpellaret. Neminem tot Interpretem mendum animaduertiſſe mirum eſt. Nam *iniit conuiuia*, reponendum, haud dubie eſt. Puto autem inde errorem inductum quod *Conuia*, contracte ſcriptum ante fuerit, id non intelligentes, & *vias*, inepte concinnarunt. Haud abſimilis nouiſſima ſecuritas Valerij Aſiatici, qui fraude Meſſalinæ interijt, de quo idem Annal. XI. *Liberum ei mortis arbitrium permiſit. Hortantibus dehinc quibuſdam, inediam, & lenem exitum, remittere beneficium Aſiaticus ait: & uſurpatis, quibus conſueuerat exercitationibus, lauto corpore, hilare epulatus, venas exſoluit. Hilare epulatus*, eſt quod de Petronio, *iniit conuiuia*.

Hoc leue, illud maioris momenti, quod proxime ſequitur. Poſtquam Petronius codicillis, flagitia Principis, ſub nominibus exoletorum, fœminarumque, & nouitate cuiuſque ſtupri, perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni, *fregit annulum, ne mox uſui eſſet ad facienda pericula*. Quid eſſet facere pericula, à nullo explicatum inueni. Cum facile eſſet Tacitum, ex Tacito illuſtrare. Is paulo ſupra Mellam Lucani parentem, tanquam eiuſdem coniurationis popularem, ad mortem actum narrans. *Mixta*, inquit, *in patrem, filiumque coniurationis ſcientia fingitur, aſſimilatis Lucani literis, quas inſpectas Nero, ferri ad eum iuſſit, opibus eius inhians. At Mella, quæ tunc promptiſſima mortis via, exſoluit venas*. Fictæ, & aſſimilatæ Lucani literæ ſunt ad parentem, quaſi eidem conſpirationi innexum, ſcriptæ. Quod impoſturæ genus frequens. Facile enim fuit chirographum imitando adulterare, & in quo tota res erat, annulum ſignatorium intercipere, & literas munire. Id metuens Petronius, ne ſcilicet poſt eius mortem, annulo ſignatorio confingerent epiſtolas, ad inſontes, quaſi coniurationis participes ſcriptas, ut in Mella factum erat, poſtquam codicillos obſignaſſet, annulum fregit, ne uſui eſſet ad facienda pericula, ideſt,

Digitized by Google

ſcilicet cubiculorum parietibus adſtituti, recipiendo, atque effundendo per inane fumo, longis tubis, atque emiſſariis inſtructi. Et plures quidem viri doctiſſimi, tales apud veteres fuiſſe, præciſe negant, ſed ſolos focos habuiſſe, ſine tubis, guliſque eiuſmodi, eoſque ex ære, ferro, teſtâve, mobiles, & portatiles in medio cubiculorum locatos. In Anthologia L. III. cap. 24. *Hirundinem in nido pullis incubantem, allapſus ſerpens, ſpiris inuoluens, flebiliter ſtridulam, cum deripere vellet, decidit in ſubiectum focum, flammiſque voracibus conſumptus eſt. Vulcanus,* inquit poeta, *Erichtoniæ filiæ ſobolem ſeruauit.* Quod Prognæ avus fuerit Erichtonius, Vulcano & Minerua natus. Ἤριπεν ἐσχαρίῃ λάβρον ἐπ' ἄσθμα πυρός. *Cecidit in focalis, rapidam flammam ignis.*

Ad quem locum Io. Brodæus. *Foci*, inquit, *apud veteres fuerunt, non quales hodie habemus, ſed ſine camino, & gula, mobiles, ex ære, ferro, aut teſta, ſuper quos cameram atramento illinebant, ut atrum id pictura inductum, pro fumo videretur.* Tota autem vis eſt in voce, ἐσχαρίῃ. *Eſchara*, proprie huiuſmodi focum ſignificat, *eſcharium*, foculum, quam vulgo, *fogara*, ſiue focarium, teſta, vel patella, cum prunis accenſis. Nec alia voce, utitur Homerus, cum focum nominat. Ἧσται ἐπ' ἐσχάρῃ. Sedet ad focum, aſſidet foco. Cuius vocis etymon fusè proſequitur Euſtathius. Siue quod non haberet altitudinem, ſed humi iaceret: ſiue quod haberet ἀρὰς, ideſt preces, quæ apud eam, cum Diis libarent, habebantur. Cum autem duo panis genera apud veteres eſſent, ἰπνίτης, furnarius, ἐσχαρίτης dicebatur, qui in ἐσχάρᾳ, ſiue foco coctus eſſet, iſque melle, & paſſo condiebatur, unde ab Eſcharitis *ſcalette*, & *ſcalettiere* Venetis dicitur, piſtor dulciarius. Vtriuſque panis meminit Athenæus Lib. III.

Ad rem: non alium ignem, ſiue focum, ſiue caminum, in uſu apud veteres fuiſſe contendit Brodæus, quam qui huiuſmodi focali, ſiue eſchára, in cubiculum inferretur, & conſtitueretur in medio: quales hodie foci, qui in nauigiis ponuntur, & in miſerorum agreſtium mapalibus. De eſchara, ſiue foculo affert locum Æginetæ Lib. v. eſcharas non eſſe conficiendas ex qualibet materia, præcipue neque ex picea, neque ex pinu, quod in iis ſæpe Salamandræ, & erucæ ſeticeræ, ac venenoſæ abundent, quæ ignis vi excitatæ, decidunt in obſonia, & alia vaſa, quæ non fuerint oper-

ta. Ex quo apparet, ad huiuſmodi foculos, non ſolum ſe calefacere conſueuiſſe, ſed in iiſdem cibos percoquere.

Sed validius argumentum eſt, quod Vitruvius nuſquam in libris de Architectura, camini mentionem fecerit: nec Pollux in Onomaſtico, cum omnes ædium partes minutim exequitur, quibus adſtipulatur Grapaldus in libro de partibus ædium, voce Caminus.

Non longe abit ab hac ſententia Paul. Manutius ad Lib. VII. Epiſt. Fam. Epiſtola x. In eo tantum à Brodæo diſſentit, quod exiſtimat non fuiſſe omnes caminos portatiles, & mobiles, ſed certo loco ædificatos, non quidem iuxta parietem, ſed in medio conclauium, ſuperaddita concameratione quæ focum ambiret. Ceterum quod tubo, ac fumi exitu carerent cum Brodæo ſentit. Quòd autem in medio conclauium ædificarentur probat ex Catone de re ruſt. cap. XVIII. *Focum purum circumuerſum, priuſquam cubitum eas, habeas.* Quomodo enim circumuerti, ſiue in orbem ambiri focus potuiſſet, ſi excauato parieti inædificatus fuiſſet? Et Columella Lib. VI. cap. 50. *Conſueſcat ruſticus, circa larem domini, focumque familiarem ſemper epulari.* Quod nihil aliud ſignificat, niſi larem, & focum, circa quem epularetur familia ruſtica, medium in conclaui locum tenuiſſe.

Sed hoc non eſt ita difficile explicatu, nec multum diuerſa Brodæi ſententia, nam ut obſeruat Iacob. Mazzonius vir eruditus commentario in Dantem I. 1. 41. Catonis, & Columellæ verba etiam de mobili, ſiue portatili camino intelligi poſſunt, qui & ipſe in medio ædium ponebatur. Illud plane mirum, at perdifficile intellectu, in quo Brodæus, & Manutius conſentiunt, huiuſmodi caminum, ſiue portatilem, ſiue immobilem, & conclaui inædificatum, non habuiſſe exitum, unde fumus euaporare poſſet. *Exitum fumi caminus antiquorum non habebat*, inquit Manutius: *itaque moleſtia fumi vacare non poterat, niſi vel ligna vrerent, quod Cato docet, amurca illita: vel apertis feneſtris uterentur, quorum alterum impenſæ non minimæ, alterum qui ferri poſſet, cum per feneſtras hieme præſertim, frigori, & ventis aditus pateret, non intelligo.*

Videbat Manutius, ſibi illud obiici poſſe, ſi nullus exitus, nullus tubus erat, per quem fumus aſcenderet, & redderetur, neceſſe fuiſſe, eos fumo præfocari, qui in eo cubiculo eſſent. Et duplici quidem ratione quæſtioni occurrit, ſeu dubie, & hæſitanter. Pri-

mo

Digitized by Google

mò quod lignis amurcâ illitis uterentur, & in Sole ſiccatis, & ideo fumum non reddentibus, unde *acapna*, dicebantur. Secundo quod apertis feneſtris viuerent, per quas illa moleſtia effunderetur. Sed primum fuiſſe magnæ impenſæ, alterum vix credibile, ſæuiente hieme apertis feneſtris vixiſſe, frigida tempeſtate cuncta peruadente. Huc accedit, quod illa conclauia alta fumi caligine obſita fuiſſe neceſſe eſt, etiam cum per feneſtras emitteretur.

Quod ad primum attinet, ſcilicet morem ungendi ligna, & exſiccandi, Plinius L. xv. 8. *Ligna, ait, macerata amurcâ, nullius fumi tædio ardere*. Quæ diligentia licet adhiberetur, caueri tamen non poterat, quin aliqua fumi moleſtia afficerentur. Vitruvius non ſolum, ut dicebamus, nullam camini mentionem in toto opere ædificatorio fecit, ſed hanc ſententiam approbare videtur L. VIII 3. ubi oſtendit conclauia minime vacaſſe fumi, & fuliginis iniuria quod nequaquam accidiſſet, ſi fumi ſpiramenta in uſu fuiſſent. Loquitur autem de coronis, ſiue coronamentis cubiculorum (Itali, *cornices* appellant). *Coronarum*, inquit, *alia ſunt pura, alia calata. Conclauibus ubi ignis, & plurima lumina ſunt ponenda, pura fieri debent, ut ea facilius extergantur. In æſtiuis, & exedris, ubi nullus ignis uſus, ubi minime fumus eſt, nec fuligo poteſt nocere, ibi calata ſunt facienda*. Et capite ſequenti. *Tricliniis hibernis non eſt utilis iſta compoſitio, nec megalographia, nec camerarum coronario opere ſimilis ornatus; quod ea, & ab ignis fumo, & ab luminum crebris fuliginibus corrumpantur*.

Præter Erodæum, & Manutium, etiam doctiſſimus Lipſius in eadem ſententia fuit, illamque propugnauit, Centuria III. epiſt. 75. In qua negat Romanos habuiſſe iſta fumi emiſſaria, ſiue patulas, & ab imo aſſurgentes gulas, quibus Europa hodie utitur, *inuento*, inquit, *non nimis priſco, etſi utili, & commodo*. Eius argumentum firmum admodum eſt, ſi modo vera ſunt, quæ dicuntur. Nempe, nec Romæ, imò nec in prouincijs, in tot ædificiorum ruinis, parietinis, ac ruderibus, ullum unquam talium ſpiraculorum veſtigium apparuiſſe, nullam ut diximus, cum apud Vitruvium, tum apud alios ſcriptores huius rei mentionem. Extare quidem vocem Camini, ſed alio ſenſu, ut initio innuimus, ſignificare enim fornacem, aut hypocauſtum.

Ita illud Ciceronis, *Luculento Camino utendum cenſeo*, quod Tre-

batius in Gallia eſſet, cuius cælum frigore infeſtum, caminum pariter cum ceteris, interpretatur fornaculam, aut foculum in cubiculum illatum, in quo carbones igniti eſſent, ex ære, ferro, aut teſta, pro copia, aut arbitrio cuiuſque. Suetonius in Tiberio cap. LXXIV. *Cinis è fauilla, & carbonibus, ad calefaciendum triclinium illatis extinctus, exarſit repente.* Plutarchus in apophtegmaſin, refert dictum Alexandri M. Cum quidam amicorum eum epulo hieme, & frigore excepiſſet, atque ἐσχάραν μικράν parvum foculum, & modicum ignem intuliſset, facete Alexander, aut ligna, aut thus, inferri iuſſit, innuens, talem ignem cum ſua acerra, magis ſacrificio, quam calefactioni aptum fuiſſe. Apud eundem Plutarchum quæſt. conuiu. Lib. VI. 7. *Anacharſis cum multa Græcorum carperet, laudabat ignem qui ex carbonibus, quod fumum foris relinquentes, ipſum purum in domum inferrent.* Nam accendebantur foris, accenſos importabant.

Poſtea, ut idem Lipſius obſeruat, exemplo balneorum repertus eſt alter modus, iſque fuit, ut fornacem, ſiue caminum ſub ipſo cubiculo, aut cænatione conſtruerent, & per tubos, atque canales, qui parietibus in orbem inhærebant, calorem in ea loca transfunderent. Quos tubos ex imbrice, ſiue tegula conſtructos in antiquis ædificiis viri docti obſeruarunt: & de his capiendum Senecam de prouidentia cap. IV. *Quem ſpecularia à flatu ſæpe vindicarunt, cuius cænationibus ſubditus, & parietibus circumfuſus calor temperauit.* Ait ſubditum, ideſt in loco inferiore, & ſub ipſo pauimento, circumfuſum autem parietibus, nempe per impreſſos illos tubos. Fuiſſe autem rem non ita antiquam Seneca oſtendit epiſt. XC. *Quædam noſtra demum memoria prodiiſſe ſcimus, ut ſpeculariorum uſum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul, & ſumma foueret æqualiter.* Ex quibus colligit Lipſius ante reperta fuiſſe ſpecularia, quam tubos: non enim iſti commode induci potuiſſent, quia feneſtris apertis, calor expiraſſet.

Si ætate Senecæ, aut paulo ante ſpecularia inducta, illud ſequi videtur, ante id tempus, feneſtris apertis uſos fuiſſe, ex quibus, fumus, ſi quis erat, exhalaret. Ceterum Camini iterum meminit Suetonius in Vitellio cap. I. *Nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini.* Arnobius L. IV. *Lateranus vobis Deus focorum*, quod ex laterculis crudis caminorum iſtud ædificetur genus.

Demum etiam Lambinus ad Horatium Lib. II. ep. 2. *Caminus* inquit, *& focus non eo tantum differunt, quod alterum Græcum eſt, alterum Latinum, ſed quod Caminus fornacem ſignificat, focus vas, aut locum ubi ignis excitari ex materia ſolet. Talibus autem fumi ſpiraculis non eſſe veteres uſos, qualia hodie ſunt nobis in uſu, è tectorum faſtigijs prolata, figura quadrata, vel rotunda, conſtat inter doctiores.*

Ergo quatuor viri eruditione præſtantes conſenſu negant, hæc noſtra fumi ſpiracula veteribus fuiſse cognita. Etiam Mazzonius in Dantem, licet hæſitet, ac titubet: ſe enim libenter eorum opinioni ſubſcribere ait, qui crediderunt, veterum caminos, non habuiſſe exitum ſuper tectum. Solus, quod ego ſciam, Daniel Barbarus, una cum Hermolao omnis Barbariæ victor, huic opinioni refragatur. Nam commentario in Vitruvium, auctoritate Architecti, qui Vrbini Regiam conſtruxit, tradit, veteribus caminorum uſum cognitum fuiſſe, ita tamen, ut nonniſi in ſumma parte ædium iis uterentur, rotundumque foramen, in tecto haberent, unde fumus egrederetur. Subiicit autem ideo nunc in antiquis ruderibus, nulla eorum veſtigia apparere, quod in ea parte ædium ſtatuerentur, quæ ruinæ proxima eſt, primoque corruit.

Hæc quidem ratio valida eſſet, niſi illud obſtaret, quod Barbaro non animaduerſum Mazzonius vidit: ſcilicet hanc fuiſſe ędium conditionem Romæ, quæ nunc Venetiis, & alibi, ut in iis, quæ duas tres contignationes habent, domini ædium inferiorem ferme partem habitarent, ſuperiorem autem locarent inquilinis, quæque cœnacula dicebantur, ad quæ, per alias ſcalas extrinſecus collocatas, aſcendebant. Liuius Lib. XXXIX. *Conſul rogat ſocrum, ut aliquam partem ædium vacuam faceret, quo Hiſpala immigraret. Cœnaculum ſuper ædes datum eſt, ſcalis ferentibus in publicum obſeratis, aditu in ædes verſo.* Plut. in Sylla. *Quidam Libertinus, qui dicebatur, unum proſcriptorum occultaſſe, atque ideo erat de ſaxo præcipitandus, obiecit Syllæ, quod diu in eadem domo habitaſſet, ipſe ſcilicet in ſuperiore parte,* quam Plut. appellat Cœnaculum, *Sylla in inferiore, quodque pependiſſet ipſe mercedem ſuperioris partis domus duo millia nummum, Sylla tria.*

Superiores igitur ædium partes, (nos *ſolari di ſopra,* appellamus) quæ pauperioribus locabantur, ut doctis obſeruatum, Cœnacula dicta.

dicta. Iuven. *Rarus venit in cænacula miles*, ideſt ad pauperes inquilinos occidendos. Alibi deſcribit pauperem habitantem, *ponunt ubi molles oua columbæ*. Martialis. *Et tribus ſcalis habito, ſed altis*. Quoniam autem qui cænacula conducebant, cubicula pauperibus, aut peregrinis ſublocabant, vel in diem, vel in menſes, cænaculariam Iuriſconſultis facere dicebantur, quod nos *fare camera locanda*. Vt in viam redeamus, ſi caminus tantum in ſummitate ædium ſtatuebatur, illos qui inferiorem partem incolebant, fumi exitu caruiſſe neceſſe erat.

Alia igitur quærenda ſunt, quæ Barbari ſententiam confirment cognita ſcilicet fuiſſe veteribus fumi emiſſaria. Primum illud, quod ſupra attigimus, ſi his fumi conceptaculis caruiſſent, futurum erat, ut homines, aut apertis feneſtris, etiam ſtridente aquilone, viuere cogerentur, aut fumo præſocari, vel ſaltem rebus lætis lacrymare. Neque attinet dicere, alioquin Romæ apertis feneſtris viuere conſueuiſſe, tum quod hiemes mites admodum ſint, tum quia ſpecularia, tantum Senecæ æuo inducta fuerint, & cum nondum vitreæ feneſtræ cognitæ eſsent, inde ſequi perpetuo feneſtras patuiſse, aut iis obſeratis diem excluſum. Cur enim alia materia pellucente muniri non potuerunt? Certe velorum mentio apud Iuriſconſultos occurrit, non in alium uſum: item potuere ex carbaſo tenuiſſima plagulæ confici, aut ex Ægyptia papyro, & ſimilibus, ut hodie ex tela, & charta, atque ita innoxia lux admitti.

Sed demus, aiunt, pellucidum aliquod munimentum feneſtris obtentum fuerit, non tamen fumi tædio vexati homines fuiſsent, cum ligna acapna urerentur. Quorum uſus ſuperuacuus fuiſset, ſi fumo exitus patuiſset. Verum iſta non minimi pretii fuiſse videntur, & tantum ad focalia, & eſcharas adhibita, quæ cubiculis inferebantur. Quis autem credat, iis culinæ focum inſtructum, maxime à pauperibus? Etſi Martialis indicare videtur non magnum eorum pretium fuiſse, cum Lib. XIII. monet ruſticum ut ad villam ligna acapna ferat, quod in agro Nomentano propter uliginem, & paludes humida ligna eſsent: quod indicat arido ſolo id non eſse factum.

Acapna igitur calefaciendis cubiculis, & inſtruendis foculis adhibita, quæ & coctilia dicebantur. Non fuiſse autem in promiſcuo uſu docet Trebellius in Claudio: *Ligni quotidiani*, ideſt viridis,

Digitized by Google

& vulgaris, *pondo mille, coctilium batilla quatuor*, ſcilicet ad foculos, quæ & ligna cocta Iuriſconſultis dicuntur de verb. ſign. *Titiones, & alia ligna cocta, ne fumum faciant*. Trebellius in Pertinace. *Pater eius coactiliariam tabernam in Liguria exercuerat*. Optime Lipſius, *coctiliariam*, nam *coactilia*, ſunt impilia, ſiue *Feltri*, at pater Pertinacis coctilia iſta ligna vendebat. Capitolinus. *Pertinacis pater Ælius Succeſſus fuit, qui filio nomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret, impoſuiſſe fertur*. De quibus capiendus iocus Laconis apud Plutarchum conuiu. quæſt. L. 11. Nam cum Gymnaſiarcha acapna præbuiſset, accuſare ſe eum dixit, quod eius cauſa, ne lacrymare quidem liceret.

Secundum argumentum, quod adducit Mazzonius, ut probet, fumi emiſsaria in uſu fuiſſe, ducitur ex Suetonio in Vitellio. *Nec ante in Prætorium redijt, quam flagrante triclinio, e conceptu camini*. Nam ſi caminus fuiſſet eſchara, ſiue focale, quomodo potuiſſet in medio collocatum, toti conclaui incendium communicare? ergo per tubum parieti, & laquearibus connexus. Non tamen magnam vim hæc ratio habet. Poſſet enim reſponderi, etiam ſi focale in medio conſtitutum fuiſſet, potuiſſe fauilla, & ſcintillis, correptis proximis quibuſque ignis nutrimentis, per totum triclinium incendium ſpargi.

Illuc igitur præuertamur, & miſſis coniecturis, ſcriptorum non uno teſtimonio comprobemus, nequaquam veteres fumi ſpiramentis caruiſſe. Virgilius. *Et iam ſumma procul villarum culmina fumant*. Seruius. *Ad veſperam*, inquit, *coquenda cœna*. Nam Brodæus, & ex eo Mazzonius plane argutantur, cum aiunt, duplicem ſenſum habere: ſiue quod fumus tectorum culmine exiliat, & hoc eſſe falſum: ſiue ob noctis imminentis vicinitatem, videri villarum tecta, & faſtigia fumo operta eſſe, & hanc eſſe veram interpretationem. Quæ ſunt inepta. Nunquid enim ruſtici cœnam non coquebant? aut acapnis utebantur?

Quid cum apud Homerum Vlyſſes in ædibus Calypſo, cupit videre fumum exilientem e patria terra, de tenebris noctis inſtantis intelligemus, & ubi ignis fuerit, fumum euanuiſſe? Sed cetera ſcriptorum loca, ita euincunt, fumi emiſſaria in uſu fuiſſe, ut vix ulla dubitandi ratio relinquatur. Plautus in Aulularia, de ſene

illo

illo omnium mortalium auariſſimo.

Suam rem periſſe, ſeque eradicarier,
Quin divum, atque hominum clamat continuo fidem
De ſuo tegillo fumus ſi qua exit foras.

Nihil enim ad rem faciunt, ex Critica laſciuia, variæ lectiones, ligillo, tigillo, licnillo. Nam quodcunque admittatur, fumus exit foras. Præterea apud Athenæum leguntur Diphili Tragædi carmina, quibus paraſitus à diuite vocatus ad cœnam, ait ſe diſſentire ab ingenio multorum, qui cum vocati ſunt ad cænam ab aliquo diuite, & fortunato homine, ſtatim domum introeuntes, laudant tecta laqueata, vaſaque Corinthia, coniectis in reliqua huiuſmodi ædium ornamenta oculis: ſe vero has res omnes ſpernere, intentiſque oculis reſpicere fumum culinæ. Quod ſi ille impetu quodam directo, latus, fuſuſque ſit, lætari ſe, ac præ gaudio exultare: contra autem, ſi obliquus, & tenuis, illico cognoſcere cœnam, quod ei vehementer doleat, ſanguinem non habituram. Seneca epiſt. LXIV. *Interuenerunt quidam amici, propter quos maior fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautiorum culinis, terrere vigiles ſolet, ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificet.* Quomodo fumus vigiles, qui incendiorum metu, noctu Vrbem circuibant, terrere poterat, niſi e tectis erumpens, & magnitudine ſua, magnum ignem indicans? unde metus ne proxima incendio corriperentur.

Sed certiora afferantur, ad quæ ne hiſcere quidem audeant, qui hanc contrariam ſententiam fouent. Appianus Alex. bellorum ciuilium Lib. IV. ubi immaniſſimam Triumvirorum proſcriptionem recenſet, narrat, proſcriptos, ut milites cuncta ſcrutantes laterent, & percuſſores effugerent, partim in puteos deſcendiſse, alios in cloacas, quoſdam in fumaria, vel ſummas tegulas refugiſſe. Quid hic fumaria ſunt? ἐς καπνώδεις ὑπορόφιας, in fumaria ſub tecto, quâ ſcilicet fumus e tecto euoluitur. Qui locus reuocat in mentem inſignem alterum Herodoti Lib. VIII. ubi originem Regum Macedoniæ exequitur. Narrat ergo tres fratres, quorum natu minimus erat Perdicca, à Temeno oriundos, ex Argo in Illyrios profugiſſe, & inde tranſgreſſos ſuperiorem Macedoniam, perueniſſe ad Vrbem Lebæam, ubi ſe ad mercenariam operam, Regi locaſſe, ut armenta paſcerent. Fuiſse autem tunc Regibus, ſicut & populo non magnas opes. Ita ipſam Regis uxorem farinam ſubigere ſolitam,

&

& panes conficere. Sed dum coquebatur panis, pars Perdiccæ pueri, in duplam molem excreſcebat. Id cum Regina nunciaſſet marito, ingreſſus ille culinam, ut hoc prodigium ſpectaret, ubi rem oculis hauſit, accerſitis operariis, uti e domo ſua diſcederent, imperauit. Illis dicentibus, diſceſſuros, ubi mercedem accepiſſent, tunc Rex, Sole per fumarium domum ingrediente, dixit, at ego hanc mercedem vobis dignam rependo, oſtendens Solem. Græca verba ſunt. Ἦν γὰρ κατὰ τὴν καπνοδόχην ἐς τὸν οἶκον ἐσέχων ὁ ἥλιος. *Ingrediebatur autem per fumi conceptaculum Sol in domum.* Id καπνοδόχη ſignificat. Ac ne quis dicat, fuiſſe foramen in tecto, per quod Sol ingrederetur, conceptaculum non potuit eſſe aliud, quam tubus, aut gula conceptum fumum emittens. Potuit autem eſſe ita breue, & latum, ut per illud Sol ingrediens pauimentum illuſtraret. Nam ſequitur apud Herodotum, Perdiccam gladio Solem in pauimento circumſcripſiſſe, ac veluti ſublatum intra ſinum condidiſſe. Certe per tubos longiſſimos, & in celſarum ædium faſtigio collocatos Sol uſque ad pauimentum peruenire non potuiſſet: atque ita, unius modo contignationis culina latum & rectum conceptaculum habuit, ut Sol radios in pauimentum diffundere potuerit.

Sed illud validius, quod Athenæus Lib. IX. affert carmina Soſipatri, quibus oſtenditur, coquum artium liberalium expertem eſſe non debere: in primis autem architecturæ peritum eſſe debere, cauſamque affert his verbis. *Culinam recte ſtatui, & lucis accipere quod ſatis eſt, ac unde ventus adſpiret, contemplari, præbet ad hoc utilitatis plurimum. Fumus enim huc illuc iactatus, diſcrimen aliquod afferre interdum ſolet, dum coquuntur obſonia.* Et in libri fine leguntur carmina Alexis. *Culinam, & caminum habere non licet* ὀπτανεῖον, καὶ κάπνην, *aſſatorium, & fumarium.* Reſpondent pueri. *Caminum quidem habet, malum habet, fumoſus eſt.* Clarius etiam Ariſtophanes in Veſpis inducit ſenem Phylocleonem à filio domi concluſum, conari per caminum, ſiue fumi tubum, & gulam effugere. Τί ποτ' ἡ κάπνη ψοφεῖ; *Quid inſtrepit fumarium?* Vetus Interpres, καπνοδόχη. *Fumi receptaculum, inſtar tubi, & canalis, ſuper culinam, per quem fumus effunditur,* & per quem ſenex euadere conabatur. Vnde Florens Chriſtianus exiſtimat κάμινον dictum, quaſi κάπνινον, ideſt fumarium.

Ex his omnibus liquere arbitror, duplex caminorum genus fuiſſe apud veteres: alterum portatilem, ideſt eſcharam, ſiue focale: alterum cubiculis inædificatum, & vel in medio, vel ad parietem adſtructum: hunc autem, & tubum, ſiue canalem, & exitum habuiſſe, emittendo fumo. Non enim omnes portatiles fuiſſe, ut credit Brodæus, illud indicat, quod apud Plautum in Aulularia, ſenex ille auarus, ollam auro plenam ſub ipſo foco condidit: quod fieri non potuiſſet, ſi caminus ille mobilis, ac portatilis, ſiue ſimplex focale fuiſſet. Et his quidem eſcharis, ſiue foculis illatis cubicula calefacta eſſe, per ligna acapna, ſiue coctilia, depellendo fumi tædio, ut hodie huius modi foculi cum carbonibus inferuntur in eundem uſum. Succeſsu temporis calorem, ſublato foculo inductum, per occultos illos tubos parietibus inſertos, ut docuit Lipſius, quorum Iuriſconſulti meminerunt de ſeruitute urbani prædii. *Non licet autem habere tubulos admotos ad parietem communem, quod per eos paries flamma torretur*. Inuentis tubis inuenta ſpecularia, quibus excludebatur frigus admiſſo die, alioquin calor per feneſtras expiraſſet.

Quæ non ex vitro, ſed lapide ſpeculari, unde nomen, de quo Plinius Lib. XXXVI. 22. *Specularis vero, quoniam & hic lapis nomen obtinet, faciliore multo natura finditur in quamlibet tenues cruſtas.* Quorum pariter Iuriſconſulti meminerunt. Vlpianus. *Specularia, & vela, quæ frigoris cauſa, & imbrium in domo ſunt, inſtrumento domus non contineri Caſſius exiſtimauit*. Ex quibus apparet, ante uſum ſpecularium fuiſſe adhibita vela, & id ſimile aduerſus frigus & imbres, ut eadem vela etiam oſtijs obtendi ſolita, falſumque eſſe, quod quidam putarunt, ante inducta ſpecularia, apertis feneſtris veteres vixiſſe.

Ex eo tempore ſpecularium uſus frequens. Martialis.

Hibernis obiecta Notis ſpecularia puros
Admittunt Soles, & ſine fece diem.

Etiam in balneis adhibita docet Seneca epiſt. LXXXVII. *Quantæ ruſticitatis damnant nunc aliqui Scipionem, quod non in ſuum caldarium, latis ſpecularibus, diem admitteret*. Iidem claudebantur lecticæ. Iuvenalis. *Qua vehitur clauſo latis ſpecularibus antro*.

Præter tubos illos parietibus inſertos, aliam etiam rationem cubicula hiberna calefaciendi veteres habuerunt, ſcilicet per Heliocaminos,

Digitized by Google

caminos, de quibus nihil adiicere poſſumus ijs quæ viri docti attulerunt. Interim non omittemus inauditas Sybaritarum delicias, qui novum morem excogitarunt, corpora calefaciendi. Nam Athenæus Lib. XII. *Apud Sybaritas*, inquit, *reperta ſunt caua, & anguſta cœnacula, in quibus, dum menſis accumberent, calore fouerentur*. In Græco eſt πύελοι. Quare merito interpretem caſtigat Lipſius, quod *cœnacula* verterit, cum vertere debuiſſet, *reperti ſunt aluei, in quibus accumbentes caleſierent*. Sed quales eſſent iſti aluei, non recte Lipſius expoſuit. Ait enim fuiſſe thecas, lectulorum inſtar, quibus ſupponerentur in teſtis carbones, ad modice calefaciendum, qui incubaret: ad eum fortaſſe modum, quo inhoneſta lue infecti, pro præteritis laboribus, ſudare ſolent. Sed πύελον Suidas interpretatur *ſolium*, quales erant balnearum aluei, in quos loturi deſcendebant. Mirum luxuriæ ingenium apud Sybaritas, qui pro lectis tricliniaribus, in quibus ad menſam diſcumberent, alueos excogitarunt, aqua calida plenos, in quibus, tanquam in lectis menſæ accumbebant, iiſque corpora mergebant, vt calidæ tepore, inter comedendum fouerentur.

DE RELATIONE CONSVLVM.

An Imperator ſententiam in Senatu diceret. Tacitus non vno loco explicatus. Cap. X.

TAciti verba ſunt Annalium primo, de Tiberio patres in Senatu miſere ludificante, & nobiliſſimorum mancipiorum ceruicibus inequitante. *Etiam Q. Haterius, & Mamercus Scaurus, ſuſpicacem animum perſtrinxêre. Haterius, cum dixiſſet, quouſque patieris Cæſar, non adeſſe caput Reipublicæ? Scaurus, quia dixerat, ſpem eſſe ex eo, non irritas fore Senatus preces, quod relationi Conſulum iure Tribuniciæ poteſtatis, non interceſſiſſet*. Nobis hic locus obſcurior viſus eſt, quam ut ab Interpretibus præteriretur. Quid enim ſuſpicacem Tiberij animum perſtrinxit? Illud nempe, quod Tiberius videret artes ſuas, & arcana ſimulationum, detegi, qui cum re vera dominus eſſet, talis videri nolebat. Detraxit veluti laruam Scaurus, latenter, ſed libere. Nam innuebat, ſi ex animo, vereque imperium Tiberius aſpernaretur, facile ipſi fuiſſe, iu-

re Tribunicię poteſtatis, relationi Conſulum intercedere. Cum, ſcilicet ad Senatum retuliſſent, ut Tiberius Imperator eſſet. Id primo in Senatu actum: & poſt eam relationem, inſurexerunt certatim omnes, & in ſpeciem recuſanti Imperium ingeſsêre. Illi relationi non interceſſit, cum iure poſſet Tiberius, unde ſpem eſſe non irritas fore Senatus preces, Scaurus arguebat, quibus à Tyranno ſeruitutem eblandiebantur. Hinc non immerito ſuſpicax animus perſtrictus eſt, videntis perire artes ſuas, ac ſimulationem detegi.

De relatione autem, & ſententia in Senatu dicenda, multa viri doctiſſimi attulerunt, precipue Fridericus Gronouius Lib. 1. Obſeru. Cap. 22. Pauca nos illuſtrando Tacito adiiciemus, alijs prętermiſſa. Eodem annalium primo, cum Granius Marcellus, à Cępione maieſtatis in Senatu arceſſeretur, atque Hiſpo addidiſſet, ſtatuam Marcelli altius, quam Cæſarum ſitam, & alia in ſtatua, amputato capite Auguſti, effigiem Tiberij inditam, adeo exarſiſſe Tiberium tradit, ut rupta taciturnitate, proclamaret, ſe quoque in ea cauſa laturum ſententiam, palam, & iuratum, quo ceteris eadem neceſſitas fieret. *Manebant etiam tum,* inquit, *veſtigia morientis libertatis. Igitur Piſo, quo* inquit, *loco cenſebis Cæſar? Si primus, habebo quod ſequar: ſi poſt omnes vereor, ne imprudens diſſentiam.* Hæc non ita perſpicua ſunt. Nam ſi Tiberius, ideo ſe laturum ſententiam dixit, ut ceteris eadem neceſſitas fieret, Tyrannica prorſus ea vox fuiſſet, quæ libertatem ſuffragij Senatoribus adimebat, & cogebat reum damnari, certe à ſimulatione, fictaque Tiberii modeſtia abhorrens. Præterea fruſtra Piſo dubitare videtur, quo loco dicturus eſſet Cæſar: nam primo loco dicere eum, par erat, qui in eandem ſententiam Patres tracturus eſſet. Illud ergo in Tiberio notabile fuit, & merito perſtrictum, quod præter morem Principum ferre ſententiam vellet, qui in Senatu rogabant ſententiam, non ferebant. Neque eo contentus Tiberius adiecit, ſe palam, & iuratum ſententiam laturum: addito ſcilicet iureiurando, illud e Rep. eſſe, quod in rebus grauioribus non ſemel factum ex Tacito Lipſius obſeruat. Iuratum autem dicturum ſe, ut ceteris eadem neceſſitas fieret. Non quidem eiuſdem ſententiæ dicendæ, nam hoc Tyrannicum, & à ſimulatione Tiberij alienum, fruſtraq; id Piſo arguiſſet, ſed ut eadem neceſſitas pariter iurandi ceteris fieret, illud è rep. eſſe. Libere ergo eum Piſo corripuit, *Quo loco*

dices

Digitized by Google

dices Cæſar? Non primo, nam tolles libertatem, cogeſque omnes idem ſentire: non poſtremo, nam metuent ceteri, ne diſſentiant. Subiicit Tacitus. *Permotus his, quanto incautius efferbuerat, pænitentia patiens, tulit abſolui reum criminibus maieſtatis. Quanto incautius ira prolapſus fuerat, tanto patientius,* (ut Muretus corrigit) *tulit abſolui reum.* Merito igitur Dionem Caſſium erroris arguit Lipſius, quod Lib. LVII. ſcribat Tiberium voluiſſe damnari eum, qui ſtatuam cum hortis vendidiſſet, ſed obſtitiſſe pudorem, quia primus à Conſule ſententiam rogatus eſſet. Princeps enim, ut dictum eſt, in Senatu ſententiam rogabat, non ferebat.

Huc etiam ſpectat, quod Annalium III. habetur, in cognitione Lepidæ, quæ ſuppoſiti partus, ac maieſtatis poſtulabatur. *Haud facile,* inquit Tacitus, *quis diſpexerit illa in cognitione mentem Principis, adeo vertit, ac miſcuit, iræ, & clementiæ ſigna.* Paulo poſt. *Exemit etiam Druſum Coſ. deſignatum, dicendæ primo loco ſententiæ: quod alij ciuile rebantur, ne ceteris adſentiẽdi neceſſitas fieret: quidam ad ſæuitiam trahebant, neque enim ceſſurum, niſi damnandi officio.* Quod Druſus, & ipſe ſævus ingenio, & ut alibi, prono ad aſperiora, ita primo loco ceſſurus eſſet, ut tamen condemnaret, iiſque accederet, qui ſæuiora cenſuiſſent, & ſic partem illam auctoritate firmaret. Fortaſſe legi poſſet, *adſenſurum*. Druſum ſcilicet exemptum dicendæ primo loco ſententiæ, nonniſi damnandi officio, aſſenſurum iis, qui condemnaſſent. Paulo infra. *Itum in ſententiam Rubellij Blandi, à quo aqua, atque igni arcebatur. Druſus adſenſit, quanquam alij mitius cenſuiſſent.*

Ex his facile erit illa Libro II. intelligere, ubi loquitur de Hortalo, in Senatu, liberorum paupertati, ſubſidium petente. *Igitur quatuor filijs, ante limen Curiæ adſtantibus, loco ſententiæ, cum in palatio Senatus haberetur, ad hunc modum cœpit.* Etiam paulo ante. *Exceſſit Fronto, & poſtulauit modum argento, ſuppellectili, familiæ. Erat quippe adhuc frequens Senatoribus, ſi quid è Rep. crederent, loco ſententiæ promere.* Eſt igitur, loco ſententiæ, extra ordinariam eius Senatus relationem. Vt ſi verbi cauſa, eo Senatu relatum eſſet ad Patres *de Mathematicis Italia pellendis*, poterat tamen aliquis Senator, ſi quid è rep. videretur, in medium afferre, loco ſententiæ, quam dicturus erat de re propoſita, etiam ſi illud nihil ad eius diei relationem pertineret, ut de moderando luxu, de mari-

tandis

ſandis ordinibus. Quod erat egredi relationem, ut Gronouius eodem loco obſeruat.

Id clarum ſit ex verbis Tiberij, preces Hortali ſuperbius accipientis. *Nec ſane ideo à maioribus conceſſum eſt, egredi aliquando relationem, & quod in commune conducat, loco ſententiæ proferre, ut priuata negotia, res familiares noſtras hic augeamus, cum inuidia Senatus, & principum, ſiue indulſerint largitionem, ſiue abnuerint. Non enim preces ſunt iſta, ſed efflagitatio intempeſtiua quidem, & improuiſa, cum alijs de rebus conuenerint patres, conſurgere, & numero, atque ætate liberum ſuorum, urgere modeſtiam Senatus, eandem vim in me tranſmittere, ac veluti perfringere ærarium.* Poſtrema verba corrupta cenſet Lipſius, legitque, *eandem inuidiam in me tranſmittere*. Sed nihil opus eſt: *eandem vim in me tranſmittere*, qua vi, modeſtia Senatus oppugnabatur, nam *perfringere ærarium*, ad vim referendum.

Vt res à diuerticulo repetatur, ſententiam in Senatu Princeps non ferebat, ſed rogabat modo. Et quemadmodum, cum Princeps abeſſet, Conſul, penes quem eo menſe faſces, poſtquam ad Senatum retuliſſet, ſententiam rogabat, ita præſente Principe, & referente, etiam ipſi Coſs. ſententiam dicebant. Idem Lib. III. *Primus ſententiam rogatus Aurelius Cotta Coſ. (nam referente Cæſare magiſtratus eo etiam munere fungebantur)* ideſt rogante Cæſare, ſententiam etiam ipſi Conſules ferebant, ut ceteri Senatores, abſente Principe rogabant tantum.

Ceterum Conſulibus abſentibus, vel præuaricantibus, quorum ius referendi fuit, alios etiam è principibus ampliſſimi ordinis referre conſueuiſse: præterea Auguſto indultum eſse, ut quoquo Senatu, liceret ei unam de quacunque re vellet relationem facere, etiam ſi Coſ. non eſset: item quod eſſet ius ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ relationis, docuit ad Suetonium vir incomparabilis Caſaubonus, quem vidiſse operæ pretium fuerit.

De Faſcino triumphantium cuſtode. Plinius non ſemel explicatus. Cap. XI.

FAlſa opinio inualuit, ſervum publicum, qui coronam Etruſcam, ſuper caput triumphantis ſuſtinebat eodem in curru, dicere

cere ſolitum; *Reſpice poſt te, hominem te eſſe, memento*. Adiecta turpiore fabula, ſervum eum fuiſse carnificem. Primi commenti auctor Tertullianus in Apologetico. *Hominem ſe eſſe etiam triumphans, in illo ſublimiſſimo curru, admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, Reſpice poſt te, hominem memento te*. Quem ſequuntur Zonaras, & ex eo Panuinius. Alterius fabulæ, leuis admodum auctor eſt Iſidorus, nempe ſervum eum, fuiſse carnificem: & quem Romanæ leges, ne intra Vrbem quidem receperunt, credit auguſtiſſimo illo curru, una cum triumphante vectum.

Coronam triumphantium, Etruſcam ex auro fuiſse notum eſt, eamque tantæ magnitudinis, & ponderis, ut cum eam geſtare triumphans non poſset, ſtatueretur poſt eius tergum ſervus publicus, qui eam ſuſtineret. Plin. L. xxxiii. 2. *Cum triumphanti corona ex auro Etruſco, ſuſtineatur à tergo*. Iuvenalis.

Quippe ſuſtinet hanc publicus, & ſibi Conſul,
Ne placeat, ſervus curru portatur eodem.

Ne triumphans ſibi nimium placeret, quod illo ſublimiſſimo curru veheretur, eodem & ſervus ferebatur. Non quod ſervus, eum mortalitatis admoneret, verbaque illa poſt tergum ſuggereret. Nam vel ſilente ſeruo, id ille intelligebat.

Fuiſse autem ſervum carnificem ex male intellecto Plinij loco credidit Iſidorus. Is eſt Lib. xxviii. c. 4. *Quanquam religione mutatur & faſcinus, Imperatorum quoque, non ſolum infantium cuſtos. Qui Deus inter ſacra Romana à Veſtalibus colitur, & currus triumphantium, ſub his pendens defendit, medicus inuidiæ, iubetque eoſdem reſpicere. Similis medicina linguæ, ut ſit exorata à tergo Fortuna, gloriæ carnifex*. Ad quem locum Interpretes nihil ſani attulerunt. Vt ergo clarius intelligatur, altius quædam repetenda ſunt. Eo capite Plinius, cum hominum ſaliuam ieiunam contra ſerpentes præſidio eſse dixiſset, alios eius uſus efficaces affert. *Deſpui ſcilicet comitiales morbos, hoc eſt contagia regeri*. Addit, *ſimili modo, & faſcinationes repercutimus*. Mox. *Eadem ratione terna deſpuere deprecatione, in omni medicina, mos eſt, atque effectus adiuvare*.

Et faſcinationem quidem, deſpuendo regeſtam, notum ex Theocrito, Plutarcho, & aliis. Quaſi ſputi fœditate, quod ferme in ſinum coniiciebatur, noxiæ, & urentes laudationes, repellerentur.

tur. Poſtquam plurima eius ſuperſtitionis exempla attulit, addit: *Nos ſi hæc, & illa credamus rite fieri: extranei interuentu, aut ſi dormiens, ſpectetur infans, à nutrice, terna adſpui*. Morem ſcilicet fuiſſe, ſi extraneus domum ingrederetur, aut in dormientem infantem oculos coniiceret, ad auertendum faſcinum, ut nutrix ter deſpueret. *Terna*, ſcilicet deprecatione adhibita. Non ſolum enim deſpuebant, ſed ter etiam imminens malum deprecabantur, hoc eſt, reiiciebant, ſiue repercutiebant. Supra. *Eadem ratione terna deſpuere deprecatione, in omni medicina mos eſt*.

Sequitur. *Quanquam religione mutatur, & faſcinus*. Turnebus, cum in antiquis exemplaribus inueniſſet, *religione mutuatur*, ait ea ſyllaba (nempe MV) veteres uſos ad inuidiæ, & faſcini depulſionem ex Lucilio. *Nec laudare hominem quemquam, nec mu facere unquam*. *Mufacere* ideſt mutire. Inde tamen non ſequitur, mutire, contra faſcinum valuiſſe. Ait enim Satyricus nec laudatum quemquam, ac ne de eo quidem muſſatum eſſe. *Mutatur religione faſcinus*, hoc eſt, ſuperſtitione diuerſa, non tantum ſputo faſcinus depellitur. Sed pro Deo apud Romanos cultus, & quidem ab honeſtiſſimis illis Veſtæ virginibus, non ſolum infantium, ſed Imperatorum cuſtos. Quemadmodum enim ut ait Varro, *pueris turpicula res quadam in collo ſuſpendebatur*. (nempe pudendum virile, quod inde faſcinum dictum, qualia hodie plurima in loculis antiquariorum ſpectantur) ita & currus triumphantium ſub his pendens, defendebat, *medicus inuidiæ*, faſcinationis depulſor. Quod ſequitur, difficultate non caret. *Iubetque eoſdem reſpicere*. Dalechampius titubat. Et modo legendum eſſe, ait, iubetque inuidiam recipere, appenſum enim faſcinum Deum, ut in auctores faſcinum reiiceret, eoſdemque faſcinum, & inuidiam recipere, iuberet. Iubetque eos, deum ſe reſpicere, nempe ſubiectum, & e curru pendulum Deum. Quî autem fieri poterat, ut ſub curru, triumphans penſilem Deum videret? Demum ut ſervum à tergo ſtantem reſpiceret. Quod rectum eſt, & recta lectio, ſecunda enim inuidiæ medicina, ſervus à tergo ſtans, & triumphantis gloriam imminuens. Similis medicina linguæ, nempe tertia, non ſolum faſcinus pendens, & ſervus eodem curru vectus, ſed fœdiſſima militum conuicia, qui à tergo, ideſt currum ſequentes, illis, iratam felicibus Nemeſim & ſuperborum ultricem, & vindicem placabant, quæ ideo *gloriæ carnifex*,

fex,

fex, appellatur; *ut ſit exorata à tergo Fortuna, gloria carnifex*: nimium ſe extollentis felicitatis, ſupplicium. De militum conuiciis recte etiam Dalechampius accepit, ſed fruſtra particulam ET, interiecit. Hæc non intellecta Iſidoro fucum fecerunt, ut ſupine crederet, carnificem ſacrato illo curru, ac veluti Deorum thenſa, circumvectum.

De Calidæ potu apud veteres Mercurialis ſententia exploſa. Correctus & explicatus Apuleius. Cap. XII.

CAlidæ potum non modo in uſu frequenti apud veteres, ſed etiam in deliciis fuiſſe, abunde in Electis Lipſius oſtendit. Eaque res, quod iam in deſuetudinem abierit, incredibilis aliquibus videtur, omnibus vere admiranda. Cum præterea communis opinio ſit, puram, ac ſimplicem aquam fuiſſe, nec addito melle, aut aliis dulcibus, palato commendatam. Hoc autem apud ſcriptores ita compertum eſt, & cognitum, ut id negare peruicacis demum ſit, & refractarij.

Quare Hieron. Mercurialis, magni nominis Medicus, cum id infitias ire ſe non poſſe videret, mirabili commento, eo prouectus eſt, ut calidam, eſſe calidam negaret, ſicque ſcriptorum teſtimonia eluderet, lib. Variarum 1. cap. 8. Vbi, num calida, quam medici frequenter ſub vocabulo θερμὸν, nominant, quamque antiqui potabant, eſſet igne, aut Sole calefacta, diſputatum eſſe, ſcribit. Subiicit pro ſententia ſe exiſtimaſſe ſemper, nunquam veteres inter conuiuia aquam calefactam bibiſſe: primo, quod ea potius concitet vomitum, quam aut voluptatem, aut commodum afferat: deinde, quod Plinius potum calidum eſſe contra naturam, probet argumento brutorum, quæ frigidam proſequuntur. Calidam autem veteribus dictam, quæ nulla arte refrigerata eſſet, ſed quæ potaturis porrigebatur, qualis ſuapte natura erat. Ergo calida veterum fuit aqua non frigida, ſiue minime refrigerata. Sententia tanto viro indigna, & in qua refellenda ſtultus labor ſit, niſi plerique eſſent, etiam è vulgo eruditorum, qui animum inducere non poſſunt, ut credant, aquam calidam non potui ſolum, ſed deliciis adhibitam. Ergo ex Mercurialis ſententia ſequitur, calidum non eſſe calidum, & aquam etiam à puteo recenter hauſtam, licet per frigidam, fuiſſe

calidam, quia non eſſet à glacie refrigerata. Quo nomine autem eam, quæ admoto igne calefacta eſt, appellabimus?

Sed quid verbis opus eſt? Paulus Iuriſconſultus. *Nec multum refert inter cacabos, & ahenum, quod ſupra focum pendet: his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Martialis.

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit,
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Quid illud eiuſdem? *Noſtra nec ardenti gemma feritur aqua.* At Plinius, potum calidum eſſe contra naturam notat, argumento belluarum, quæ frigidos potus ſequuntur. Quot alia uſurpata mortalibus, quæ noxia, & naturæ legibus contraria? Imò vel una Plinij auctoritas, id comprobare poſſet. *Notandum*, inquit, *nullum aliud animal, præter hominem calidos potus ſequi.* Reprehendit ſiquidem morem calidam bibendi. Nam ſi calidæ potus capiendus eſſet de aqua minime refrigerata, ſiue naturali, bruta nonniſi aquam frigefactam biberent; quo nihil abſurdius.

Cum ergo videret Mercurialis, ſe non poſſe vim teſtimoniorum eluctari, eo recurrit, ut diceret, calidam non in delicijs habitam, ſed ad vomendum adhibitam, quod eſt ineptius. Non modo enim omnia thermopolia, cauponæ omnes, in quibus aqua calida venalis erat, ad vomitum inſtitutæ fuiſſent, ſed ipſa conuiuia, ac mundiciarum apparatus, hac fœditate dehoneſtari debuerunt: cum inſtar ſerpentis, qui in vini dolium lapſus, bibit, & vomit, ructantium ebrietate ſtreperent conuiuia, vinoque, & fruſtis eſculentis pauimenta natarent. Imò in ipſo Theatro, in Circo, & ſpectaculis omnibus id factum oportuit, ubi frequentiſſimus calidæ uſus.

Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,
Si non potares Sextiliane merum.

Apage has ſordes, hominibus dignas, qui nihil nauſeantur.

Sed me piget, pudetq; diutius his immorari. Itaq; eo veniamus. Si calida pura fuit, nihilque admixtum habuit, quod palato blandiretur, cur ea venalis, cur cauponæ, & thermopolia ad hoc inſtituta? Nempe, ut pauperes, & tunicatus populus inde ſibi peteret, nec rerum viliſſimam emeret, ſed ignis impendium; ut hodie cibaria, ac lupini venduntur, quæ tamen unuſquiſque ſibi domi coquere poſſet, niſi pluris paratura conſtaret, atque ita ſine lignorum ſumptu calidam foris comparare præſtitiſſet.

Quod

Quod ad guſtum, ac voluptatem attinet, uſus, & conſuetudo id commendare potuit, quod nunc faſtidio ſit. A pueris enim aſſueti homines potui calido, etiam illum in voluptatem verterunt. Nam & ſi dulce quid, aut aliud admixtum concedamus, quæ fuit ſententia Turnebi, certe calida potabatur, quam hodie delicati reſpuerent. Cum tamen ius calidum ingratum minime ſit, imo ſtomacho ſalutare. Quanquam non ita pridem potiones, & ſorbitiunculæ, exoticis granis, & aromatibus temperatæ, non calidæ modo, ſed feruentes in uſum venere, quæ tam palatum, quam guttur, ut cum Plauto loquar, pitiſſando amburunt, paſſimque harum thermopolia, præcipue Venetijs celebrantur, ut iam vinum plebeiũ ſapiat, & ab ipſis hoſtibus, qui ſanguinem noſtrum ſitiunt, neſcio leuandæ, an accendendæ ſiti, ardentes liquores petiti, viſceribus ingeruntur, ut inter calidæ, & frigidæ potum vita paulatim eliqueſcat.

Ceterum illud certum, quod Lipſius, atque alii adnotarunt, non ſolum calidam per ſe, & ſolitarie hauſtam, ſed frequenter vino additam, quod, ut ait Lipſius procliuius, & iucundius feruens potio deſcenderet in ventrem. Ex multis quæ ipſe attulit, ad id comprobandum, unus modo Apuleii locus ſumetur, Mileſiarum ſecundo. *Fotis arripit poculum, ac deſuper aqua calida iniecta, porrigit bibam.* Quæ ſequuntur non ſunt ſincera. *Idque modicum. Priuſquam totum exſorberem, clementer inuadit, ac relictum paulatim labellis minuens, ſorbillat dulciter*: Quid enim modicum vinum propinaret, *quæ binos calices propoſuerat, ſemiplenos, ſolam temperiem* (aquæ calidæ) *ſuſtinentes*, ideſt expectantes? Nec erat modicus hauſtus ex diſciplina Veneriæ paleſtræ. Quare, intra, ſecundum, & tertium poculum alternant. Omnino legendum eſt. *Porrigit bibam, idque modico priuſquam totum abſorberem*. Modico prius, ideſt paulo prius, ſiue paulo ante quam totum haurirem. Libro primo. *Modico prius quam Lariſſam accederem*. Cuius dictionis ignoratio, alterum eiuſdem Apuleii locum, ipſo primi libri initio, male affecit. *Ego denique veſperna, dum placenta caſeata offulam grandiorem, in conuiuas æmulos contruncare geſtio*: prout in Colinij, & Vulcanij editione legitur. Vbi duo ſolida verba deſiderantur, quæ in manuſcriptis, & Beroaldi editione leguntur, & in Palatino extare monet Vvouerius. *Dum placenta caſeata, modico ſecurius, offulam grandiorem*. Modico

ſecurius, eſt paulo ſecurius, ſiue licentius, grandiorem offam ingurgito, fere intercluſo ſpiritu interij: ut recte quidam apud Beroaldum interpretantur, qui *mordicus*, vel *modico*, perperam retinet. Modico ſecurius, ut modico prius. Fuluianus codex, & Zabarellarum optimus, *modico ſecus*, habet. Sed prior lectio ſanior eſt, licet etiam *modico ſecus*, pro paulo ſecus, alibi idem uſurpet. *Et cum dicto, modico ſecus progreſſus*.

Binos igitur vini calices appoſuerat Fotis ſemiplenos, ſolam temperiem ſuſtinentes, ideſt aquæ calidæ infuſionem. Sequitur enim *artipit poculum, & deſuper aqua calida iniecta, porrigit bibam*. Lucianus in eadem narratione, calidæ, & frigidæ mentionem facit. Καὶ ὄινος ἀυτῷ παρέκειτο, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον, καὶ ψυχρὸν, καὶ θερμόν.

Illud etiam certum eſt, ideo calidam vino iniectam, non ſolum ut iucundius eſſet, ſed cum vina ad fumum vetuſtatis cauſa ſuſpenderentur, eoque, & ipſa longæ ætatis carie denſarentur, ad ea liquanda, & diluenda, calidam adhibitam, cum ut vis indomita frangeretur, tum ut maſſa illa coacti liquoris ſolueretur.

Nec aqua modo, ac vinum, ſed etiam calida puls bibebatur. Auſonius Eidilio XII.

Hinc cibus, hinc potus, cum dilueretur aqua puls.

Varro de L. L. *Calix à caldo, quod in eo calda puls apponebatur, & caldum eo bibebant*. Hinc Celſo *pultarius*, quo nempe puls bibebatur Lib. II. cap. II. ubi poſtquam duo cucurbitularum genera, ſanguini detrahendo, recenſuit, addit. *Vtraque non ex his tantum materiæ generibus, ſed etiam ex quolibet alio, recte fit. At ſi cetera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius, oris compreſſioris, ei rei commode aptatur*. Pultarij quoque meminit Plinius Lib. VII. 53. *Operoſiſſima tamen ſecuritas mortis, in M. Ofilio Hilaro, ab antiquis traditur Comœdiarum hiſtrione. Is cum populo admodum placuiſſet, natali die ſuo, conuiuiumque haberet, edita cœna, calidam potionem in pultario popoſcit, ſimulque perſonam eius diei, acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens, nullo ſentiente, donec accubantium proximus, tepeſcere potionem, admoneret*. Vbi neſcio cur Lipſius, vocem *potionis*, veluti gloſſema expunxerit, incertum enim eſt, utrum calidam aquam, an vinum in pultario popoſcerit.

Qua

Digitized by Google

Qua fraude Britannicus à Nerone ſublatus. Tacitus illuſtratus. Nuperi inepta interpretatio reiecta. *Cap. XIII.*

HIs contenti eſſe poteramus, niſi locum Taciti, quo calidæ potionis mentio fit Lib. XIII. fruſtra aliqui ſollicitaſſent. Nam dum Britannicum à Nerone ſublatum prodit, *Quod*, inquit, *cibi, potuſque eius, à prægustatore explorarentur, ne omitteretur inſtitutum, aut utriuſque morte proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc, ac præcalida, & libata guſtu potio, traditur Brittanico. Dein, poſtquam feruore aſpernabatur, frigidâ in aquâ, affunditur venenum.* Quæ ſatis per ſe clara ſunt. Lipſius in electis ad calidæ potum retulit, ſed non ita compertum eſt, utrum vini, an aquæ potio illa fuerit. Potuit enim etiam eſſe vini calidi, quod in uſu fuiſſe, iam diximus. Vt ut ſit, dandum erat Britannico venenum. Eius cibum potumque de more prægustator explorabat. Itaque ne eo amoto, ſuſpicio oriretur, aut ſi pari fato cum domino periiſſet, ne eius morte ſcelus proderetur, tali fraude graſſari placuit. Potio ſeruens, eaque *innoxia*, ideſt ſine veneno, & à miniſtro prægustata, ei exhibetur: quam cum præ ardore reſpueret, ad eam temperandam frigida petita eſt, iam ante præparata, & veneno infecta, quæ cum calidæ ſupermiſſa fuiſſet, Britannicum confecit. Neque noua, aut tunc excogitata ea fraus fuit. Nam multo ante, eadem Alexander M. è vita depulſus eſt, ut Curtius, & Iuſtinus, iiſdem ferme verbis retulerunt. *Philippus, ac Iollas, prægustare, ac temperare potum Regis, ſoliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam prægustatæ potioni iam, ſupermiſerunt.*

Sed nuper repertus eſt, qui nodum in ſcirpo quæreret. Nam in vaſtæ molis commentario, quem in poetarum principem edidit, poſtquam Taciti locum adduxit. *Hæc verba*, inquit, *male ad calidam Lipſius torquet. Fraus enim fuit, calidam offerri Britannico: quæ calida erat, erat reſpuenda, ut videlicet tunc prægustator, ſine noxa libaret: quo facto, quaſi negligentius fuiſſet, nix adducitur, ut fieret frigida, inter quas moras, venenum affunditur, iam abſque periculo prægustatoris. Non enim neceſſarium fuit iterum libare frigidam, cum iam eandem libaſſet calidam.* Quid ſibi primis verbis

velit,

velit, ne Oedipum quidem intellecturum puto. Ex reliquis, quaſi per caliginem videmus, eſſe in eadem hæreſi cum Mercuriali, ut credat eam potionem, ideo dictam calidam, quia minime refrigerata erat: deinde allatam fuiſſe niuem, & inter moras affuſum venenum.

Demus calidum eſſe non refrigeratum, quid illis verbis opponet, *quam cum feruore aſpernaretur*? Num feruorem dicet, eſſe naturale frigus aquæ, non admota niue? Tacitus ait, in frigida affuſum venenum: iſte, inter moras cum niue refrigeraretur, inditum. Sed nimirum amens ego, qui cum his diutius ſermonem cędo, qui malunt cum Mercuriali deſipere, quam in re manifeſta, cum viris doctiſſimis ſentire. *Non enim* inquit, *mihi perſuadebunt, aquam calidam puram putam, fuiſſe in delicijs Romanis hominibus*. Credat ille, quod libet, merumque aqua, ſiue calida, ſiue frigida iure præferat: eam aquam in deliciis etiam fuiſſe, tot ſcriptorum loca à Lipſio adducta, ita euincunt, ut nemo dubitare poſſit, niſi qui ſic Tacitum interpretetur. Nec magis ferendum, quod ſubiicit, aquam illam calidam fuiſſe Neronis decoctam, quæ principis illius inuento, prius coquebatur, ut frigidior hiemaret. Ex quo ſequitur, calidam apud veteres fuiſſe aquam prius decoctam, deinde glacie rigentem, talemque Britannici potionem illam præcalidam, quam præ feruore aſpernaretur, & quia non penitus frigus receperat, calidam appellatam. Quid hiſce frigidius dici poteſt?

Apuleius Mileſiorum libris illuſtratus & emendatus. *Cap. XIV.*

CVm per æſtiuos calores Apuleii Mileſia, cum codice manu exarato, optimæ notæ, quem Comes Iacobus Zabarella, de literis, ac tota antiquitate optime meritus, publicæ Bibliothecæ largitus eſt, conferrem, non pauca ſe ſe obtulerunt, quæ in partem Electorum venirent.

Libro ſecundo. *Per quandam breuem poſticulam intro vocat me, & conclaue quoddam obſeratis luminibus umbroſum demonſtrat matronam flebilem, fuſca veſte contectam*. Corrupta hæc, & mutila.

Digitized by Google

In MSS. *Et claue quadam obſeratis liminibus umbroſa*. P. Coluius, cui plurimum Apuleius debet, paulo diuerſe in ſuis codicibus repperit. *Quadam, & umbroſam*, ut ſit, *umbroſam demonſtrat matronam flebilem*: ſed neutram ſibi lectionem ſatis concinnam videri fatetur. Nihilo meliora ceteri. Beroaldus, de ſuo, *cubiculum*, addidit. Verum facile fuerit ex MS veram lectionem concinnare, quam ignari phraſis Apuleianæ, interpolarunt. *Et in conclaui quadam, obſeratis luminibus* (feneſtris ut in luctu) *umbroſa, demonſtrat matronam flebilem. Conclauis,* ſequiori ſexu. Neque tamen præter rationem. Nam *conclauia veteres dixere*, ut ait Feſtus, *loca, quæ una claue clauderentur*. Ita locus conclauis, & cubiculum conclaue, & cella conclauis. Gloſſæ. Conclauis, ἀφέδρων, ἀπόβατος. Parum recte viri docti reponunt, *& cum claue quadam, reſeratis liminibus*.

Nec longe quærenda ſunt in Apuleio eiuſdem licentiæ exempla. Nam paulo poſt. *Vt tantillulum animalis, præ nimia ſui fiducia, mihi turbauerit animum.* In MS. *Vt tantillula*, ſiue *tantullula animalis*, quod in ſuis, & Coluius repperit. Lib. I. *Et quod ingreſſu primum fuerit ſtabulum, prandio participabo*. In MS. *ingreſſum*. Sic Lib. IV. *Poplites eius totos amputant*. MS, & Veneta editio, *poplites totas*. Eadem licentia Lib. II. *Obteſtata fidem præſentium, ſingula demonſtrat anxie.* MS. *Obteſtata fide.* Cui ſimile Lib. III. *Colloque meo ambabus manibus implexa.* MS. *implexo*. Et infra. *Noctis initio foribus eius præſtolamur.* MS. *præſtolatis*. Libro eodem. *Immiſſa manu ſcrutatus è medijs papillis meis, iam capillos abſconditos.* MS. *ſcrutatis.* Et alia eiuſdem exempli non pauca.

Similis licentiæ ignoratio, ſiue in antiqua voce retinenda religio, ſenſum corrupit, Lib. III. *Fotis mea domina ſua cubitu procurato, ſui longe diſſimilis aduenit, non ex læta facie, nec ſermone dicaculo*. Quid ſit ex læta facie haud ſcio. MS. *non ens læta facie, & ſermone dicaculo*. Quod etiam in ſuis repperit Coluius, ſed relictam ſyllabam falſo credidit, & legendum, *non nitens læta facie*. Nam *Ens læta facie* ἀρχαϊκῶς, *exiſtens læta facie*, quod ſcioli in *Ex* commutarunt.

In ferali magicę artis officina, Pamphiles apparatu ſolito *inſtruit omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis literatis, & infelicium manium durantibus caluis defletorum*. Vt quidem mala manus Criticorum inuertit. Nam vetus lectio conſtans in omnibus manu exaratis,

ratis,

ratis, & olim impreſſis, quam non retinere Coluio religio fuit, ſic habet. *Infelicium nauium durantibus clauis: deſletorum etiam inſepultorum cadauerum, expoſitis multis admodum membris.* Beroaldus de reliquiis naufragorum intelligi vult: ſed de ipſis clauis nauium naufragarũ, intelligendus eſt Apuleius, ſiue ex naufraga naui demptis. Nam ut laquei, & claui pendentium, reſque aliæ ad officinam magicam, ſic naufragæ ratis claui faciebant. Primus Lipſius licenter veterem lectionem ſuſtulit, quem ceteri ſecuti ſunt. *Infelicium manium durantibus caluis deſletorum.* Quæ lectio, ut omnibus manu exaratis, & olim impreſſis repugnat, ita conſiſtere non poteſt. Quis enim proprie caluam, manus, pedes manium, ſiue umbrarum dixerit? Præterea bis idem repetitum eſſet. Nam heic caluæ manium, mox, *Sepultorum cadauerum expoſitis membris, nares, & digiti, & extracta dentibus ferarum trunca caluaria.* Non eſt ergo quod veterem lectionem ſollicitemus, *deſletorum etiam ſepultorum cadauerum.* Duplex enim adiunctum additum eſt, ut res feralis intelligatur, qua veneficæ etiam cadauera ſepulta effodiebant ad artis ſuæ ſupplementa. Deſletorum ideſt mortuorum, tam nondum ſepultorum, quam eorum, quos iam tumulus acceperat. Paſſeratii correctio plane audax. *Infelicium auium durantibus damnis,* ideſt pinnis, quem ſequitur Elmenhorſtius. Lib. IV. Sic aniculam familiarem latrones increpant. *Etiamne tu buſti cadauer extremum, & vitæ dedecus primum, & Orci faſtidium ſolum, ſic nobis otioſa domi reſidens luſitabis?* Coluius in MS repperit, *inſicabilis*, vocem nihili, magnamque initurum à ſe gratiam profitetur, qui reconditum aliquid eruat. Noſter paulo rectius habet. *Inſitabis*, ex quo pronum fuerit veram vocem elicere, muſſitabis, quod vetularum proprium: niſi quis cum Scioppio malit, *Eſitabis*, quod valde arridet.

Alia in Apuleio explicata, & emendata, vetuſque lectio non ſemel reſtituta. Cap. XV.

LIbro Mileſiorum quarto hæc verba leguntur. *Vix enim Thebas Eptapylos acceſſimus, quod eſt huius diſciplinæ primarium ſtudium: ſed dum ſedulo fortunam inquirebamus popularem, nec nos denique latuit Chryſeros.* Quæ non ſunt ſincera. Nihil variant manuſcripti,

nuſcripti, niſi quod habent fortunas populares. Totus locus ab interpunctione, male affectus eſt. Sic ergo conſtituendus. *Vix enim Thebas Eptapylos acceſſimus, dum ſedulo, quod eſt huic diſciplinæ primarium ſtudium, fortunas inquirebamus populares, nos denique non latuit Chryſeros quidam nummularius copioſæ pecuniæ dominus.* Peculiare ſtudium latronum, ubi aliquo venerant, ſedulo inquirere fortunas populares, ideſt quinam in populo prædiues eſſet, opeſque occultaret, in quem impetum darent. Neque eorum curioſitatem effugit Chryſeros, licet ſubdole magnam opulentiam diſſimularet. Sequitur. *Ergo placuit, ad hunc primum ferremus aditum, ut concepta pugna manus unicæ, nullo negotio cunctis opibus poriremur.* Quæ nihilo melius ſe habent. Quæ enim eſt iſta *concepta pugna?* Huius correctionis inuidia laborat Beroaldus. Nam in omnibus manuſcriptis, quos & Coluius, & ipſe vidi, *contempta pugna* conſtanter legitur. Quæ eſt pugna ſine periculo. Placuit latronibus Chryſeron adoriri, quod facillimum futurum erat, minimeque anceps certamen, aduerſus eum, qui ſolus, & ſolitarius, paruam domunculam habitaret. Quid contemptius? Qui *pugna contenta* legunt, fruſtra ſunt.

Etiam Lib. VIII. unius voculæ immutatio, rectam ſententiam inuidit. Gallis matris Deûm venditus aſinus eſt, cumque ſemiviri illi, arrepto flagro ſe de more laniarent, flueretque inde per ſolum largus cruor. *Cerneres*, inquit, *profectu gladiorum, ictuque flagrorum, ſolum ſpurcitie ſanguinis effœminati madeſcere. Quæ res incutiebat mihi non paruam ſollicitudinem, ne quo caſu Deæ peregrinæ ſtomachus, ut quorundam hominum lactem, ſic illa ſanguinem conſpiceret Aſininum.* Ita quidem in nouis accuratiſſimis editionibus legimus, & in manuſcriptis extare miramur. Sed ſatius fuerat Beroaldi correctionem admittere; *Sic illa ſanguinem concupiſceret Aſininum.* Nam Lucianus hoc idem narrans ſic ait. Ἐγὼ δὲ ταῦτα ὁρῶν τὰ πρῶτα ἔτρεμον ἴσως, μήποτε χρεία τῇ θεῷ καὶ ὀνείου αἵματος γένοιτο. *Hæc ego cernens, valde extimeſcebam, ne aſinino ſanguine opus eſſet Deæ.* Metuebat ſcilicet aſinus, ne Dea Syria, ſemiuirorum ſanguine viſo, aſininum quoque cruorem appeteret: quemadmodum & mulieres grauidæ, in nauſeantis ſtomachi malacia, lac, aliudve ſimile concupiſcunt. Neque abhorreret ab Apuleii archeologia, *quarundam hominum* legere, ut ſit ſenſus, metuebam, ne ut mulie-

rum grauidarum ſtomachus lac appetit, ita & Deæ ſtomachus irritatus imagine ſanguinis profluentis, meum etiam ſanguinem concupiſceret. Forte in Manuſcripto fuit, *concuperet*, vel *conciperet*, quod in conſpiceret Critici verterunt. Lactem autem vetuſtè poſuit, pro lac. Nam ſupra eodem libro. *Cum rogauit unus è noſtris, haberetne venu lacte*, in MS. lactem, quemadmodum & alii manu exarati hoc loco, *lacte*, habent.

Libro pariter nono antiquæ vocis inſolentia Criticos offendit. Adoleſcentulo in uxore deprehenſo ait piſtor. *Nihil triſte de me, fili, metuas: non ſum barbarus, nec agreſti morum ſqualore praditus: nec ad exemplar machina truculenta, ſulphuris te letalis fumo necabo*. Quænam hæc machina truculenta? Coluius, *mœcha truculenta* ex ingenio repoſuit. In Fuluiano codice fuiſſe *Nactina*, obſeruat Scioppius, & idem eſſe naccinam, & nactam ſuſpicatur, ideſt fullonem, vel eius uxorem. In noſtro MS. eſt, *vaccina*, haud dubie, pro naccinæ, ideſt naccæ, ſiue fullonis uxoris, quæ amatorem ſuum ſub cauea, dealbandis ſulphure veſtimentis contexta, concluſerat. Nam qui naccam truculentum interpretantur, non aduertunt, nequaquam à marito fullone, ſed ab uxore mœchum, ſulphuris letali fumo prope enectum. Vnde autem fullones *nactæ*, & *nacca* dicerentur, ut ait Feſtus, nam utroque modo ſcriptum reperitur, docet Turnebus Lib. xxiii. 23. quod veſtimenta pedibus calcata, ſaltu fullonio premerent, & denſarent, à Græco *νάσσειν*, unde *νακτὰ*, coactilia: ex quo etiam nacca deduci poſſit, & naccina, naccæ uxor.

De Ludo talorum, Cap. XVI.

TAlorum ludum antiquiſſimum fuiſſe indicat Homerus. Nam Iliados ψ. Patroclus ait, interfectum à ſe Amphidamantis filium, imprudente, ac nolente, *ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς*: *ex ludo talorum, ira concepta*. Et Herodotus Lib. i. Nam cum Piſiſtratus adductis ad urbem copiis tyrannidem affectaret, tradit eo tempore Athenienſes, partim ad prandium conuerſos, & ſecundum prandium, partim ad talos, partim ad ſomnum. Item narrans, quo pacto Lydi, extrema annonæ difficultate, famem tolerauerint, hoc remedium excogitaſſe ait, nempe inuentum ab iis teſſerarum, & talorum

rum

Digitized by Google

rum ludum, tum pilæ, & ceterorum ludorum, præterquam calculorum. Itaut altera quidem die, in totum luſibus occuparentur, ne ciborum quærendorum ſollicitudine torquerentur, altera cibum caperent.

Simplicem autem, & minime operoſum luſum fuiſſe, naturâ ipsâ, inſtrumenta ſuppeditante, & proinde ferme puerorum oblectamentum apparet. Vetus verbum eſt, *homines periurijs, pueros talis decipi*, idque Dionyſij tyranni præceptum fuiſſe tradit Plutarchus. Item Lucianus inducit Iouem Ganimedi pollicentem, etiam in Cęlo talis luſurum, colluſore Cupidine, pluresque ibi aſtragalos inuenturum. Imo Iouem ipſum cum eodem talis ludentem à Iunone increpitum, quod Deorum rex, puerili ludo laſciuiret. Quintilianus pariter puerilem luſum fuiſſe oſtendit Lib. VI. I. *Nam cum quidam in Iudicio, ad commouendam miſerationem pueros adduxiſſet, aduerſarius talos proiecit in medium, ut à miſeratione auerteret, quos illi diripere cœperunt. Verum hac ſimplicitas, & periculi ignoratio, magis miſerationem excitauit, quam minuit.*

Verum hic ludus ita ad hanc diem intercidit, ut difficile admodum ſit, eius rationem è profundo vetuſtatis expiſcari, ſatiſque eſſe videatur aliqua eius veſtigia odorari. Talum igitur Græci ἀςράγαλον, partem pedis, os nempe quod prope calcaneum extuberat, dixerunt. Proprie oſſiculum in ſuffragine pedum poſteriorum animalium biſſulcorum, non plane rotundum, neque tamen rotunditatis expers: In ſuperiori parte veluti roſtrum depreſſum canaliculatum habet. Infra quatuor pediculis inæqualiter fulcitur: ex duobus lateribus alterum concavum, alterum paulo protuberans. Et quanquam ſex eius partes ſint, quia tamen duę ad iaciendum ineptæ erant, quod nunquam talus in eas caderet, quatuor tantum iactus conficiebant, cum teſſeræ in unoquoque ſex laterum rectæ ſtarent.

Quatuor huiuſmodi oſſicula, detracta cute, & neruis repurgata, & expolita ad ludum adhibebantur, ſine ullo artificio, cum tam materia, quam forma naturalis eſſet. Quanquam poſtea ex ebore, auro, & alia materia tali confecti fuerint. Quatuor inquam, cum teſſeris, modo duabus, modo tribus luderetur. Nullis præterea punctis, ut teſſeræ notati. Contra quam Alex. ab Alexandro, Calcagninus, Raderus, Delrius, exiſtimarunt, qui infeliciſſime rem ta-

Digitized by Google

lariam tractarunt. Non modo enim talos punctis inſcriptos tradiderunt, ſed etiam figuras quaſdam, canis, ſenis, & Veneris, ſomniarunt. Et licet Turnebus Lib. v. 6. fluctuet, tamen, & ibi & Lib. vi. 10. in veram ſententiam concedit, in talis figuram laterum pro numero fuiſſe ex Polluce Lib. ix. 7. τὸ δὲ σχῆμα τοῦ κατὰ τὸν ἀστράγαλον πτώματος ἀριθμοῦ δύναμιν εἶχεν. *Ipſa caſus figura, & facies in talo pro numero erat.*

Quod ut clarius intelligatur, à præcipuo, & feliciſſimo talorum iactu ordiemur, qui nempe Venus dicebatur, ut idem Turnebus, & alij ex Martiale obſeruarunt L. xiv.

Cum ſteterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dediſſe tibi.

Non quod ait Turnebus Lib. xxvii. 3. cum tali quatuor diuerſo omnes erant numero, ideſt cum iacti erant omnes talorum numeri, ſed cũ diuerſa figura ſitu, & facie iacti tali conſtitiſſent, alius prona, alius ſupina, alius in dextrum, alius in lævum latus cecidiſſet. Clarius Lucianus in dialogo, quem inſcripſit Amores. Ibi fertur adoleſcens quidam, ſimulacrum Veneris Gnidiæ amore furori proximo, deperiſſe. *Hic* inquit, *ſtatim à lecto multo auroram præuertens, veniebat in templum, totumque diem, ex aduerſo Deæ, ſedendo rectos perpetuo oculorum ictus in eam defigebat. Obſcure autem interim ſecum ipſe, neſcio qua ſuſſurabat, & amatorias querelas peragebat. Ceterum ubi iam pauliſper affectus illius moleſtiam à ſe remouere volebat, affatus deam, iactis in menſam quatuor talis, ludendo ſpem ſuam experiebatur. Ac quoties id, quod intendebat, iecerat, maxime ſi quando Deam ipſam, iactu feliciore ſortitus erat, nullo videlicet talo, eadem figura cum alio cadente, adorabat illam, ſperans, ſe id quod expetebat, conſecuturum eſſe. Sin autem, quemadmodum euenit, ſimplicius paulo per menſam ieciſſet, ac tali id, quod abominabilius erat, ſurgendo reddidiſſent, toti Gnido male imprecabatur, veluti ob cladem aliquam immedicabilem, & mærore plenus erat: & paulo poſt correptis illis, alio iactu, quod male ante ceciderat, emendabat.* Ex quo apparet, iactum Venerium fuiſſe, cum nullus talus eadem figura, ac ſitu cadebat.

Sed obturbant ſcriptores, qui puncta talis, quemadmodum teſſeris inſcripta fuiſſe, indicare videntur, cum *ſenionis,* & *quaternionis* memi-

meminerunt. Perſius. *Quid dexter ſenio ferat.* Et Suetonius, cuius verba infra afferemus. Euſtathius ad Iliadem ψ. v. 88. *Ludebatur*, inquit, *hic ludus talis quatuor, quorum ſinguli caſus habebant quatuor, non ſex, ut teſſeræ, ex ſeptenario oppoſite compoſitos: reſpondebat enim ex oppoſito monas ſenioni, deinde ternio quaternioni, binarius vero, & quinarius in ſolis teſſeris reperiebantur, quæ ſex facies, ſeu plana continerent.* Eraſmus in Colloquiis, & eum ſecutus Cardanus Lib. VII. 37. de rerum variet. obſeruant, e quatuor tali lateribus duo, quæ latiora ſunt, alterum quidem, quod in exteriore cruris parte eſt, Ariſtotelis ſententia *Iſchion*, dici, internam vero partem, quæ crus oppoſitum reſpicit, *Colon* appellatum. Porro *Iſchion* corrupta voce dici cœpiſſe κύον, unde à Latinis *canem*, & *caniculam* appellatum: item χίος, Euſtathio, & Heſychio teſtibus. Eadem ratione Colon, dici cœpiſſe *Coum*, ut *Chio* opponeretur, detorta à duabus Inſulis, Chio, & Coo denominatione. Ex his, cum *Cous* poſt Venerem ſummus iactus eſſet, *Chius* autem, ſiue canis, infimus, inde factũ credimus, ut *Coum ſenarium*, & *ſenionem* appellarint, quod his ſummus numerus in teſſeris eſſet, & Chium, unionem, ſiue Canem, quia numerus ultimus in teſſeris erat. Euſtathius ibidem. *Bolorum autem, ſeu iactuum, ut aiunt, ille, qui valet ſex, Cous dicebatur, ſed qui unum, Chius, & Canis.* Veriſimile tamen eſt, talorum ludum Euſtathio ignoratum, qui iam deperditus erat, nam locutum iuxta vulgi ſententiam, verba illa declarant, *ut aiunt.* Ita minus mirum eſt, ludi ignoratione, etiam deceptum eſſe Perſii interpretem, licet antiquum, ſiue ille Cornutus, ſiue alius quiſpiam fuit. Qui teſſeras, cum talis inepte confundit, & plures fabulas ineptiores inculcat.

Porro non unam ludendi rationem fuiſſe ex inſigni Suetonij loco deprehendimus in Auguſto Cap. LXXI. ubi Auguſti ipſius epiſtolam ad Tiberium adducit in hæc verba. *Inter cœnam luſimus* γεροντικῶς, *& heri, & hodie. Talis enim iactatis, ut quiſque Canem, aut Senionem miſerat in ſingulos talos, ſingulos denarios conferebat, quos tollebat uniuerſos, qui Venerem iecerat.* Quem ludum non fuiſſe communem, & vulgarem, inde apparet, quod ait ſe luſiſſe γεροντικῶς, ideſt *ſeniliter*, minime operoſe, & qua ratione, etiam pueri ludebant. Fuiſſe autem a vulgari diuerſum, inde etiam apparet, quod Senio, in hoc Auguſti ludo, iactus damnoſus erat, cum aliàs felix,

&

& lucroſus. Perſius. *Quid dexter ſenio ferat, & quantum rationibus addat.*

In hoc ergo ſimplici, ſenili, ſiue puerili talorum ludo, tres tantum iactus fuiſſe videmus, Venerem, ſenionem, & Canem, ſiue Caniculam, neque aliorum iactuum, ſcriptores antiqui meminerunt. Martialis XIII. I.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum cum Cane quaſſat ebur.

Scio triginta quinque iactus talorum à veteribus Grammaticis afferri, qui obſeruarunt, non ultra eum numerum, diuerſas ſpecies exhiberi, quocunque iactu quatuor talorum. Alios autem à Diis, alios ab Heroibus, ab hominibus alios, etiam à meretricibus denominatos. Plures ſpecies enumerauit Heſychius, retulitq; Meurſius, ſed enumerauit, neuter explicauit. Verum iactus illi apud aleatores operoſius ludentes, non in ſimplici, & puerili ludendi ratione. Quicunque autem eos XXXV iactus, per puncta diſtinxêre, quod video præter Lexicographos, & auctorem Theatri vitæ humanæ, ſummum virum Caſaubonum feciſſe ad Suetonium, hallucinatos eſſe, ex dictis manifeſtum eſt. Satis enim oſtendimus, non punctis diſtinctos fuiſſe, aut figuris, ſed ſolo ſitu, & laterum diuerſitate.

Cur autem in ſimplici, & ſenili ludo tres tantum iactus eſſent, inde factum puto, quod quamuis tali, quatuor latera haberent, quibus in cadendo inſiſtere poſſunt, fere tamen, cum iaciuntur, non niſi in duo cadere non ſemel experti ſumus, nempe latiora, ea ſcilicet parte quæ caua, aut altera leuiter protuberante, unde illa Cous, ſiue ſenio, iſta Chius ſiue canicula dicta. In quo potius diuinare licet, quam aliquid certi ſtatuere. Nam canem fuiſſe, cum omnes quatuor conſurgerent, infra oſtenſuri ſumus.

Ceterum talorum ludum in conuiuijs frequentem fuiſſe, hoc eſt in cœna, & poſt ipſam, ſciunt omnes. Auguſtus. *Inter cœnam luſimus.* Sic cum ſenex ille Plautinus una cum filio, ſcortaretur apud amicam in conuiuio, ait filius, *Iace pater talos, ut nos porro iaciamus.* Præcipue autem ad creandum conuiuij magiſtrum, ſiue modimperatorem, peruulgatum eſt. Nam qui talis Venerem iecerat, is continuo bibendi arbiter renunciabatur, cuius imperio reliqui conuiuæ obtemperabant, eiuſque arbitrio toties, & tantum bibebant.

Digitized by Google

Horatius. *Nec regna vini ſortiere talis.* Alibi. *Quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Vbi Porphyrio. *Hoc ad magiſteria conuiuiorum pertinet, quæ talorum iactibus ſortiri ſoliti erant.* Eo etiam reſpexit Lib. II. Sat. 2. *Poſt hac ludus erat culpa potare magiſtra.* Lambinus egregie correxit, *cupa potare magiſtra*, ideſt vaſe vinario. Poſtea, inquit Venuſinus, noſter ludus erat, in conuiuio potare cupa magiſtra, ideſt nullo alio rege, ac bibendi magiſtro adhibito, talorum ſortitione. Nullus erat, qui bibendi leges conuiuis daret, aut cogeret, ſuo quiſque arbitrio bibebat, & quantum libuerat, ſolutus, ut idem alibi ait, *legibus inſanis*. Catullus. *Ingere mî calices amariores, ut lex Poſthumia iubet magiſtræ.* Poſthumia erat conuiuii arbitra. Cic. de Senect. *Me vero, & magiſteria delectant à maioribus inſtituta, & is ſermo, qui more maiorum ab ſummo adhibetur magiſtro, in poculo.* Quæ *regna vini* ab Horatio dicuntur, eadem à Cicerone, *magiſteria*.

Præterea in conuiuio talorum iactu, Deos, atque amicas inuocare ſoliti, & ex eo augurium capere, num illis grati eſſent & accepti, quod genus ſortitionis talorum ludus eſſet. Nam ſi felix iactus Venerem reddebat, ſe ſe amari putabant, ſecus ſi infeliciter caderet, ut in illo adoleſcente Gnidio. Plautus Aſinaria, ut ſupra tetigimus. *Iace pater, ut porro nos iaciamus.* DEM. *Maxime. Te Philenium mihi, atque uxori mortem: Hoc Venerium eſt, pueri plaudite.* Quo iactu ſperabat ſibi propitios amores, & coniugem morituram. Quo alium Plauti locum traxit Turnebus Lib. XXIII. 24. in Captiuis, ubi paraſitus ait, ſe ſcortum appellari à ſcurris, & urbanis hominibus: quod in conuiuio, cum talos iacerent, *ſcorta inuocabant ſua, ſuaſque*, ut diximus *amicas*. Ab illa inuocatione paraſiti, *ſcorta* dici cœperunt, non quod inuocarentur, ſed quod minime vocati, aliena quadra viuerent, & catillarent. Clarius apud eundem hic mos exprimitur. Aſinaria IV. Sc. I.

Talos ne cuiquam homini admoueat niſi tibi,
Cum iacit TE, ne dicat, nomen nominet,
Deam ſibi inuocet, quam lubebit propitiam,
Deum nullum, ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat, tu pro illa ores, ut ſit propitius.

Huc pertinet & alius Plauti locus in Curculione Actu. II. Sc. 3.

Poſt quam cœnati, atque appoti, talos ſibi poſcit in manum,

Pro-

Digitized by Google

Prouocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium,
Ille ſuum annulum oppoſuit, inuocat Planeſium,
Iacit volturios quatuor,
Talos arripio, inuoco almam meam nutricem,
Herculem, iacto baſilicum.

Vbi quidam Herculem, & volturios fuiſſe diuerſos talorum iactus dixere: imò & Turnebus neſcio quid de Hercule regio cultu in talis impreſſo comminiſcitur. Lipſius qua erat ſagacis ingenii ſolertia, legit, *Inuoco almam meam nutricem Herculem, Iacto Baſilicum.* Nam cum in more eſſet, ut diximus, iactu talorum, aut Deum, aut amicam inuocare, miles amicam Planeſium inuocat, Paraſitus ex diſciplina aduocans Herculem, facete almam ſuam nutricem appellat: quod veteres cum Herculi decimas pollucerent, ſolemne epulum publice præbere ſolebant, ad quod in primis paraſiti vocabantur, tanquam peculiares eius Dei ſerui, quod Græciæ leges ſanxerant, ut ex Athenæo Lib. VI. conſtat. Quod apud Romanos etiam obtinuiſſe, ex Poſſidonij verbis, apud eundem Athenæum, ex Plutarcho in vita Craſſi, colligere licet. Itaque cum plerumque eueniret, ut paraſiti in templo Herculis, ex decimis eius pulchre acciperentur, Plautinus paraſitus, non amicam, ſed *Herculem, nutricem ſuam* appellauit, quod ab eo ſæpe nutriretur. *Baſilicum* autem, ut idem interpretatur, nihil aliud fuit, quam iactus Venerius. Nam cum Græci conuiuii magiſtrum Βασιλέα appellarent, ſicut Latini Regem, & vini regna, iactum quo Rex creabatur, *Baſilicum*, hoc eſt Regium dixerunt, qui idem cum *Venerio*.

Ideo autem iactus Venerius fortunatiſſimus, quia difficillimus: raro enim contingebat, ut quatuor tali diuerſa facie ſinguli caderent. Cicero de Diuin. L. I. *Quatuor tali iacti, caſu Venerium efficiunt. Num etiam centum Venerios, ſi quatuor centum talos ieceris, caſu futuros putas?* Nec vini modo magiſterium in conuiuio talis ſortiebantur, ſed etiam ipſas de more partes cœnarum, & potiora fercula. Plutarchus de Catone Vticenſi. *In cænis autem partes ſortiebatur, quod ſi non obtineret, amicis ipſum prius capere iubentibus, dicebat. Non bene ſe habere, inuita Venere:* ut in vulgatis legitur. In Græco eſt. Εἰδὲ ἀπλάχοι, πρῶτον ἄιρειν τῶν φίλων κελευόντων. Vertendum erat. *Si vero non eſſet ſortitus*, id eſt ſi Venerem non iecisſet, *amicis nihilominus, propter viri auctoritatem, primas partes tollere*

Iovi iubentibus, negabat, inuita Venere, hoc bene ſe habere. Qui locus, quod ego ſciam, unicus eſt in tota antiquitate demonſtrans hunc ritum, primas in conuiuio partes talis, & iactu Venerio ſortiendi. De quo iactu, etiam extra conuiuia feliciſſimo, capiendus eſt Suetonius, in Tiberio cap. XIV. nam cum de oſtentis loquitur, quibus imperium Tiberio deſtinabatur, *cum*, inquit, *iuxta Patauium adiſſet Gerionis Oraculum, ſorte tracta, qua monebatur, ut de conſultationibus, in Aponi fontem, talos aureos iaceret, euenit, ut ſummum numerum, iacti ab eo oſtenderent, hodieque ſub aqua viſuntur ij tali*. Vbi ſummus numerus improprie, Venerius iactus, dicitur. Cum nullos in talis numeros, & puncta fuiſſe, ſatis iam oſtenderimus.

Vtinam, ſicut qualis fuerit iactus Venerius, perſpicuum eſt, ita quid ſenio, quidque canicula eſſet, liquido appareret. Et de ſenione quidem ſupra diximus, cum iactum in ludo ſimplici, & pucrili fuiſſe damnoſum, ex Suetonio, quod qui eum iecerat, nummum apponebat, ſicut, qui Caniculam, quos tollebat uniuerſos, qui Venerem: at in ludo communi, & operoſiore, fuiſſe lucroſum, ex Perſio, *Quid dexter ſenio ferat, & quantum rationibus addat*. Veriſimile videtur, cum Cous, Heſychij, & Euſtathij auctoritate ſummus iactus eſſet, ſiue ut ipſi aiunt ſenio, latus ſcilicet illud, quod in interiori parte, oppoſitum crus reſpiciebat, tunc ſenionem redditum, cum aut quatuor omnes tali in illud latus concavum cadebant, aut cum duo in concavum, duo in conuexum.

De Canicula certius aliquid conücere poſſe videmur, tunc fuiſſe, cum tali omnes ſurrexiſſent, ſiue recto gradu ſtetiſſent, & in pedes, non ut Lipſius, in dorſum, ſubſiliſſent. Nam Lucianus de illo iuvene Gnidio ſimulachri Veneris amatore. *Sin autem*, inquit, *paulo ſimplicius, per menſam iecisset, ac tali id, quod abominabilius erat, ſurgendo reddidiſſent*. Ouidius II. de Arte.

Seu iacies talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe Canes.

Sicut de Triſt. L. II. eleg. I. *damnoſos effugiaſque canes*. Propertius. *Damnoſi ſemper ſubſilire canes*. Nam quod Lucianus ait *ſurgere*, Ouidius, *ſtare* dixit, Propertius *ſubſilire*. Hinc factum, quod Lipſius recte coniecit, ut Plautus Comice canes, *vulturios* appellauerit, de milite illo, ut ſupra vidimus cum paraſito talis ludente. *iacit vulturios quatuor*, ideſt caniculam, iactum infeliciſſimum;

Quod ſemper damnoſus eſſet, & pecuniam raperet, & ideò vultu-ri rapaci ſimilis: quod Perſius dixit, *Quantum damnoſa canicula radat*.

Ceterum Martialis L. XIII. I.

Nec mea magnanimo depugnat teſſera talo,
Senio nec noſtrum, cum cane quaſſat ebur.

Ideſt fritillum, ſiue pyrgum, & turricurriculam, qua concuſſi tali in alueum mittebantur, ne fraudi locus eſſet. Idem XIV. 16.

Quærit compoſitos manus improba mittere talos,
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Nam abſque turricula, hoc facile fuiſſe, declarat Ouidius, ut paulo ſupra.

Seu iacies talos, victam ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Nec fritillum modo, ſed ipſos talos ferme fuiſſe eboreos, indicat idem ep. XIV. cuius lemma. *Tali eborei*.

Sed quærunt viri docti, cur *talus magnanimus*, eidem dicatur: aiuntque, quod talis & teſſeris darent operam iuvenes prodigi, quos Perſius appellat magnanimos pueros: vel quod poeta alluſerit ad illud Philoſophi, qui fortem, & magnanimum comparat τῷ τετραγώνῳ, quæ inepta ſunt, nec tali quadrati fuerunt: magnanimum ergo talum poeta appellat, quod eorum iactu, in conuiuio Rex crearetur, Diique & heroes, atque amicæ inuocarentur, cum teſſeræ ferre alcatorum vilium eſſent. Nec melius alterum Martialis locum iidem acceperunt Lib. IV. 14.

Dum blanda vagus alea December,
Incertis ſonat, hinc, & hinc fritillis
Et ludit Popa nequiore talo.

Nequiore, inquiunt, *mera manu iacto, abſque fritillo: vel, quod talis luſum, pro fœminis, vel quia talorum ratio ad libidinis pruriginem aliquid faciat*. Quæ ſunt prioribus nequiora. Saturnalibus, cum omnia ſeruis licerent, etiam alea, ideſt talorum, & teſſerarum ludus, qui alias impermiſſus. Popæ erant ſerui, & miniſtri ſacrificiorum, qui victimas mactabant, unde & Victimarij dicti, ergo ſeruoru m ludentium manu, talus nequior erat, cum is ludus ingenuorum, & honoratiorum eſſet. Idem epig. LXVI. *talum* appellat *blandum*, quod alea gratiſſima omnibus eſſet, ut ſupra.

Dum

Digitized by Google

Dum blanda vegus alta December. Et alibi,

Suppoſita eſt blando nunquam tibi teſſera talo.

Quod teſſerarum ludus damnoſior eſſet, quam talorum, illæ aleatorium ſorum calefaciebant, hi conuiuiorum, puerorumque, ac ſenum ferme oblectamina erant.

Diximus apud Græcos unum ex talis Chium appellatum fuiſſe, de quo extat Græcum epigramma Anthologia Lib. III. cap. 6. Piſiſtrati tumulo talum Chium inſculptum fuiſſe, quærit poeta cur id factum? An quod gente Chius fuerit ille, an vero, quod luſor? neutrũ ait, ſed quod in mero Chio extinctus fuerit, ex Chii generoſiſſimi potu. De Coo autem Heſychius. Κῶος χῖον, ὁ κῶος ἀστράγαλος ὁ ἕξ, ὁ μὲν γὰρ χῖος ἐδύνατο ἕν, ὁ δὲ κῶος ἕξ. Quod Chous in talis idem valeret, ac ſex in teſſeris, nempe ſummus iactus: Chius autem quod unio, ſiue monas, iactus infimus. Et eſt prouerbium. Comparatio nempe inæqualium, quaſi diceret, *Cous ad Chium*, ſummus ad infimum comparatus. Sed ohe ſatis luſimus, utinam vero, ſi Baſilicum non iecimus, ſaltem volturios, & canes effugiamus.

Quid ſit apud Virgilium. Quiſque ſuos patimur manes. Cap. XVII.

IVre cenſet Turnebus, non eminentem in fronte ſententiam, ſed in acceſſu abditam hoc Maronis contineri. *Quiſque ſuos patimur manes.* Sicque exiſtimat, cum infeſti mortuorum manes viuis eſſe quibuſdam cenſerentur, à quibus illi in vita læſi fuiſſent, *Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas,* eodem modo, cum apud Inferos ſupplicia, pœnaſque luant animi, eos dici, ſuos pati manes, ut quidam à lemuribus, & laruis, umbriſque vexantur. Veteres quoque Critici de horum verborum ſenſu dubitarunt. Nam Seruius, primò ait. *Manes, ideſt ſupplicia apud manes, ut ſi quis dicat Iudicium patimur, & ſignificet ea, quæ in Iudicio continentur.* Secundo ſic explicat, *Manes intelligi debere genios, quos cum vitâ ſortimur, eoſdemque etiam vita functos infeſtare.* Quæ eſt ferme Turnebi ſententia.

Sed ſi quis totum illum diuini vatis locum percurret, facile animaduertet, a recta ſententia longe abiiſſe Interpretes. Nam cum animarum, ſiue manium apud Inferos ſupplicia recenſet, nihil eos à

malis genijs, aut dęmonibus pati tradit, ſed tantum pœnis exerceri docet, & aut aëre, aut aqua, aut igni purgari ait. Veteres quidem in vitâ, hanc geniorum cuſtodiam, & tutelam dedêre, poſt fata eoſdem apud Inferos perſeuerare, à nullo traditum eſt, nec veriſimile. Præterea ſi non aliud Manes apud Inferos fuerunt, quam defunctorum animæ, manes, patiebaſitur ſuos manes, quo nihil abſurdius. Hoc igitur. Anchiſes apud poetam indicat, omnes homines, poſtquam ad Inferos venerint, pati ſuos manes, ideſt κατὰ, ſecundum ſuos manes, quod ad ſuos manes, & animas attinet, ſiue in ſuis manibus, & umbris. Vt torqueor pedes, pulſor caput, & ſimilia more Græcorum. Vel loquitur Anchiſes generatim de hominibus adhuc vitali aura fruentibus, ut ſit, Quiſquis, poſtquam huc venit, manibus, animaque ſua pœnas luit. Vel quia veteres credebant, præter animam, aliquid aliud eſſe, quod Acheruſia templa, domumque ſilentem permanaret, hoc eſt, umbram, imaginem, & *ſimulacra modis quadam pallentia miris*. Quaſi diceret Anchiſes, Quiſque noſtrum, ideſt omnia mortuorum ſimulacra, torquemur manes, ideſt animis noſtris, pœnas, ac ſupplicia expendimus. Nullius ſepulchro functi anima pœnarum expers eſt. Quod ut clarius appareat, ipſa Maronis verba adſcribam.

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: alia panduntur inanes
Suſpenſa ad ventos: alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus: aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus.

Vbi nemo ſanus dixerit, furias, ac iratos genios, manes ab hominibus appellari. Cum manes nihil aliud ſint quam defunctorum animæ, unde ſolemnis ſepulchrorum titulus, & præſcriptio, Dis manibus. Et illa: *Maneſque vocabat Hectoreum ad tumulum*. Et

Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Ne quicquam manes, animaq; umbraq; paterna.

Vbi Seruius inepta philoſophia plures animas ſomniat, cum de una tantum anima Anchiſis poeta intelligat, pro ſingulari numero, plurium per ſynecdochem uſus.

Iuvenalis ſatyra IV. explicatus. *Capt XVIII.*

PRodigum Criſpini luxum, qui mullum ſex millibus emerat; ideſt CL coronatis, perſtringens poeta doctiſſimus hæc habet;

Hoc pretium ſquammæ? potuit fortaſſe minoris
Piſcator, quam piſcis emi: prouincia tanti
Vendit agros: ſed maiores Apulia vendit.

Vetus Scholiaſtes Pythæi (nam reliquos conſulere, non eſt tanti) præterquam quod corruptus eſt, nihil ad rem affert. *Antipophora, quaſi Criſpinus hoc reſponderit. Quid mihi inuides? Apulia Curius agros vendit, ut maiores piſces vendit, quos tu prouincialibus gratis abſtuliſti: & Ironia, maiores Apulia vendit.* Nihil corruptius, aut ineptius. Legendum, *Apulia carius agros vendit, ut* Pythæus animaduertit, aut *maiores piſces vendit*. Sed nihil ad Iuvenalis mentem. Quid enim eſt, *maiores Apulia vendit?* Nam ſi piſces intelligamus, quis unquam in Apulia mullos, pretio, & magnitudine præſtantes prouenire tradidit? Neque hic ſermo eſt de mulli magnitudine, quem binas libras raro exſuperare ſolitum ſcribit Plinius: & hunc Criſpini, ſex librarum fuiſſe ad fabulam rettulit poeta. *Vt perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.* Præterea ſi maiores mulli in Appulia venditi fuiſſent, potius Criſpini luxus excuſaretur, quod alibi piſces maioris venderentur. Si autem maiores agros in Appulia venditos intelligamus, tota ſententia perit: non enim pretium, & magnitudo agrorum exagitatur, ſed agri pretio piſcem venditum, iuſta indignatio eſt.

Quare Apulia hic non eſt regionis nomen, ſed mulieris prædiuitis Orbæ, quæ donatos à captatoribus piſces, carius vendebat, & ideo omnino, non *maiores*, ſed *maioris* legendum eſt, ut reſpondeat, *prouincia tanti* vendit agros. Idem Satyra v.

Inſtruit ergo focum prouincia: ſumitur illinc,
Quod captator emat Lanas, Aurelia vendat.

Et fortaſſe de eadem Aurelia heic ſermo eſt, quæ neſcio quo fato in Apuliam conuerſa eſt. Quod fidentius ponerem, ſi codex manu exaratus ad manus eſſet, in hac pudenda veterum librorum egeſtate: ut ſit, *ſed maioris Aurelia vendit*. Duos enim heic de more

per-

Digitized by Google

perſtringit Iuvenalis, Criſpinum, qui millibus ſex mullum emerat, Aureliam, ſiue Apuliam, quæ hamata heredipetarum munera maioris vendebat. Inter quæ iure mulli fuere tunc pretioſiſſimi. Idem Sat. VI.

Cariturus turture magno,
Mullorumque iubis, & captatore macello:

ducta uxore, captatorum muneribus nequaquam ſollicitandus.

Ex primo Apuleij Mileſiorum libro quædam reſtituta, & explicata. Cap. XIX.

IPſo dædali operis initio, hæc de equo ſuo Lucius loquitur. *Ac dum is ientaculum ambulatorium, prataque præteriens, ore in latus detorto, pronus allectat.* Quæ Coluio corrupta merito viſa ſunt. In MS. *prataque præterit ore, in latus detorto, pronus adlecto.* Hoc etiam in ſuis repperit Scioppius, ſicque emendat. *Ac dum is in ientaculum ambulatorium, prataque, quæ præterit, ore in latus detorto pronus adfectat.* Quem Vouerius, & nuperi ſequuntur. Recte, nam eodem verbo in eandem ſententiam, paulo infra uſus eſt. *En, inquam, explere latice fontis lacteo. Adſurgit, & opertus palliolo, in planiorem ripæ marginem, complicitus in genua appronans ſe, auidus adfectans poculum.* Sed coniunctio delenda, ut ſit, *Ac dum is in ientaculum ambulatorium, prata, quæ præterit, ore in latus detorto, pronus adfectat.* Quod & Pricæus probauit.

Quod non multo poſt ſequitur: *panali lurore, ac miſera macie deformatus*, legendum ex eodem MS. *penè alius, lurore, ad miſeram maciem deformatus:* nam paulo poſt, *Hunc talem, quanquam neceſſarium, & ſumme agnitum, tamen dubia mente propius acceſſi.*

Hæc fortaſſe leuia, non item quæ proxime ſequuntur. *Qualia ſolent fortunæ decermina, ſtipes in triuijs erogare.* Lipſius hanc lectionem primus inuexit, contra omnium MSS. & veterum editionum fidem, ubi conſtanter, *deterrima.* Scimus, quid apud Feſtum decermina ſint, ſed nihil ad hunc locum. Alii *determina, retrimenta, crimina.* Sed nihil eſt, cur veterem lectionem repudiemus, nam *fortunæ deterrima,* ſunt homines viliſſimi, ac fortunæ ludibria, ſiue negotia, & exempla deterrima. Libentius tamen, ſi qua vetus ſcriptura iuvaret, legerem, *Quales ſolent, fortuna deterrimi, ſtipes in-*

in triuijs erogare, vel corrogare. Fortunâ deterrimâ, ideſt peſſima, & ultima conditione. Lib. v. *Sed iam peſtes illæ, teterrimæque furiæ:* in MS. *deterrimæ*, quæ vox bonis ſcriptoribus uſurpata. *Deterrimus homo, deterrima mulier Ciceroni*. Tacitus I. annal. de Aug. ſucceſſorem Tiberium eligente. *Comparatione deterrimi ſibi gloriam quæſiuiſſe*. Non *deterrima*, ut in vulgatis, ſic enim optime Faernus, & Vrſinus emendarunt. *Vltimum* etiam pro deterrimo, quod idem eſt, Apuleius uſurpat. Lib. III. *Tune ultima, non ceſſas lectorum iuuenum capillamenta ſurripere?* Et Lib. IX. *Ad hæc ultima piſtoris illa uxor*, ultima, ideſt peſſima. Lib. I. *A latronibus obſeſſus, & utpote ultime affectus*, ideſt peſſime. Eodem ſenſu *extremum* dixit. *Pol quidem tu dignus es, extrema ſuſtinere, & ſi quid eſt tam nouiſſimo extremius*. Ita in MS.

Nihil porro facilius eſt, quam veterem ſcripturam ex libidine inuertere. Nam paulo poſt. *Saga, inquit, & diuini potens cælum deponere, terram ſuſpendere*. MS. *Saga, inquit, & diuini potens*. Coluius, *diuina potens*, quem alii ſequuti ſunt. Sed miror, non ſuccuriſſe, alibi idem verbum Apuleio uſurpatum. Lib. IX. *Tunc ſaga illa, & diuini potens*. Nec durum videri debet, diuini potens cęlum deponere, qui aures Apulei ſermone tritas habeat. Eiuſdem enim licentiæ eſt, quod non multo ante in MS. legitur. *Defletis penè ad extremam captiuitatem oculis ſuis*, quod non intelligentes, in *cæcitatem*, verterunt. Sed Apuleius, quia cęcus captus oculis dicitur, inde more ſuo, etiam *captiuitatem* effinxit, quam vocem non retinere, Beroaldo religio fuit.

Nec minus aut mirum, aut verum eſt, quod in eodem MS. extat. *Ætneo melle, aut caſeo, & huiuſmodi cauponorum mercibus*, quod in vulgata, *cauponarum*. Nam noſter, *cauponum* dicere ſolet, & *cauponam*, non tabernam modo, ſed mulierem etiam. *Ad quandam cauponam Meroen anum*. Et infra, quod in editis eſt, *potens illa, & regina caupa*, in MS, *caupona*. Alibi, *de quadam anu caupa percontor*, MS, *caupona*.

Perperam etiam proxime ſequentia verba interpolarunt. *At tu hic laruale ſimulacrum, cum dedecore veſtro viſceris*. MS. *cum dedecore noſtro vixeris*. Recte. Qui enim mortuus putabatur, defletuſque domi, & conclamatus fuerat, ibi cum dedecore familiæ vixerat. Eadem pagella, *Nam ut ſcis optimè, ſecundum quæſtum Macedoniam*,

doniam profectus, legendum, ut in MS. *ſecundo quaſtu*: mox *in quadam auia, & laciniosa conualli*, rectius, puto, *lacunoſa*.

Nulla finis erit, ſi omnia perſequi velim, quæ Critica audacia perperam mutauit. De eadem caupa. *Ac mox urigine percita* (MS. Sciopii, & Fuluianus, *uredine*) *cubili ſuo applicat*. *Et ſtatim miſer, ut cum ea acquieui, ab unico congreſſu, damnoſam, ac peſtilentem contraho*. In MSS, & Beroaldi editione, *annoſam*, qui ſic interpretatur, ex vetulæ concubitu, contagione quadam peſtilenti, Socratem infectum. Nam ex Feſto, veteres *Anatem* appellaſſe, morbum anicularum. Id Scaliger ad Feſtum, Gloſſarum auctoritate confirmat, *Anas*: γῆρας κατ' ὀργὴν θεῶν. &, *Annos* θεοχολοσία, ἡ μῆνις. Sed nec Scaliger, nec Vulcanius mendum ſuſtulere. Gloſſarium enim habet. *Annoco*, θεοχολωσία, Scaliger fecit *Annos*. Sed facile fuit ex Apuleio, quem adduxerunt legere, *Anoſa*. Nam morbum vetularum & *Anatem*, & *Anoſam* dixerunt: niſi quis Anas, utrobique legere malit, cum ſit eadem utriuſque explicatio. Eumque morbum Deûm ita contingere crediderunt. *Anas*, γῆρας κατ' ὀργὴν θεῶν. *Anatem* apud Feſtum, ut quartus caſus, ab *Anas*. *Anoſa*, θεοχολωσία, ἡ μῆνις. Id manifeſte apparet ex iiſdem Gloſſis Græcolatinis. Θεοχόλωτος *Deiratus*: ut legendum ſit, *Anoſa* θεοχολωσία, ἡ θεῶν μῆνις: vel Deorum ira. Ex congreſſu igitur cauponæ aniculæ, Socrates *anatem*, ſiue *anoſam peſtilentem contraxit, ex qua, furore in miſeram maciem deformatus eſt*. Nam Anatem in Fuluiano codice extare teſtatur Vouverius, ipſe *damnoſam*, præfert. Sed *contrahere aliquid damnoſum*, neſcio an Latine dicatur.

Et ne longius abeamus, proxima verba, eadem mala manu vexata ſunt. *Quo me ad iſtam faciem, quam paulo ante vidiſti, bona uxor, & mala Fortuna perduxit*. MS. & vetus editio. *Quod*, ideſt *quo ad me ad iſtam faciem*.

Alia eodem Apuleij libro emendata, & enarrata. *Cap. XIX.*

QVod in vulgatis legitur. *Cunctos in ſuis ſibi domibus tanta cantionum violentia clauſit*: Beroaldus habet. *Tanta Numinum violentia*. Rectius Palatinus, & Zabarellarum Codex, *tacita Numinum violentia*: quorum auctoritas, & ſi ſatis vete-

Digitized by Google

rem lectionem adſtruat, de ea dubitare non ſinit Apuleius Lib. III. eodem modo locutus. *Magica diſciplina poteſtate, & cæca Numinum coactorum violentia.* Tacita Numinum violentia, eſt cœca, & occulta.

In extremo libro. *Adſide, inquit, iſtic, nam præ metu latronum, (nulla eſt fabula) nec ſufficientem ſuppellectilem, parare nobis licet.* MS. *E ſcibula*, ex quo Beroaldus, & Coluius, *nulla eſt fibula*: parum concinnè: itaque Beroaldus maluit, *nulla ſeſſula*, vel *ſeſſibula*, quod minus malum videtur. Acute Vouverius, ſi vetere ſcriptura iuvaretur, *Nulla eſt fabula*. Olim cogitabam, *nuda eſt cellula*. Interim non eſt prætereundum, quod Coluius notauit, Milonis uxorem ſediſſe ad menſam, non diſcubuiſſe, id ex more Romano factum. Quod ut de antiquiſſimis temporibus nemo negauerit, quia ut Varro ait *turpis eſſet in muliere accubitus*, ita ſequenti æuo, etiam mulieres eodem lecto cum viris accubuiſſe, indubitatum eſt. Itaque falſum omnino, quod Coluius credit, ſemper mulieres ſediſſe ad menſam, & ideo dictas in gremio maritorum iacere. Subiicit, *ſedebant in gremijs maritorum, ergo ad pedes*. Quod quomodo fieri potuerit haud video. Sedere in gremio maritorum diſcumbentium, & non accumbere ſimul in lecto, & quæ in gremio ſedebat, quomodo ad pedes? Iacebant in ſinu maritorum, vel amantium, quæ ſimul accumbebant: ſedebant autem ad pedes mariti, vel in lecti ſponda, vel in ſella, quæ non diſcumbebant. Exempla & imaginem ſuppeditabunt antiqua monumenta, & qui de hac re fuſe ſcripſerunt.

Non ergo ex veteri more factum, quod Milonis uxor ſederet ad menſam, ſed ex auaritia, & ſordibus mariti, cuius grabatulus unius tantum cubantis capax erat. Lucianus. Καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ. *Diſcumbebat in lectulo anguſto*: quod noſter, *cumque accubantem exiguo admodum grabatulo*. Et ideo coacta uxor ad pedes ſedere, cum locus diſcubitus non eſſet. Nec eſt quod Beroaldus, *pedes*, in *penes* mutet, quia Lucianus dicit γυνὴ δ' αὐτοῦ καθῆστο πλησίον, *uxor autem ipſius prope aſſidebat*, nam quæ ſedet ad pedes, & prope, & penes aſſidet. Iuſſit ergo Milo uxorem ſurgere, ut eodem loco ſederet Lucius, additque excuſationem, cur grabato eum non exciperet, imò cogeretur uxorem loco pellere, quod nulla eſſet ſellula, nulla ſupellex, præ metu latronum, ſicq; ea lectio retineri poteſt.

Apud Lucianum tamen diſcumbit Lucius, non ſedet. Εκέλευσε συμπαρακλίνεσθαι μετ' αὐτοῦ, *iuſſit me una diſcumbere*. Interpres male, *ponens ſe iuſſit ſedere*. Simili modo, quod ſupra vertendum erat γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆτο, uxor autem ſedebat, reddit, *muliere una diſcumbente*, & paulo ante, καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίῳ, *& ſedens in lectulo*, cum eſſe deberet *diſcumbens*, licet etiam aliquando in lectis ſederent.

Ad Apuleium redeamus. *Quid tam magnis pretijs piſces friuolos venditatis?* In MS. Palatino, & Zabarellarum, *indicatis*, quod & Beroaldus retinuit, & exemplis firmauit. Nam *indicare* idem eſt, atque æſtimare, & pretium facere. Supra. *Et percontato pretio, quod centum nummis indicaret aſpernatus, viginti denarijs praſtipaui*. Addere libet locum Plinij Lib. xxxvII. I. *Indicato in Cypro ſex aureis denarijs ſmaragdo*. Et cap. 2. *Neque eſt hodie murrhinâ alterius pretioſior indicatura*. Quæ autem ſequuntur. *Et florem Theſſaliæ regionis inſtar ſolitudinis ſcopuli, edulium caritate ducitis*, melius in MSS. ſe habent. *Ad inſtar ſolitudinis, & ſcopuli, caritate edulium deducitis*. Mox. *Prudentis condiſcipuli valido conſilio, & nummis ſimul priuatus, & cæna*, optime Scioppius, *callido* repoſuit. Sed hæc vituperanti nare delicatuli faſtidient.

De Cenſu Senatorio, & Equeſtri. Turnebi & Mazzonij opinio exploſa. Cap. XX.

Equitum Romanorum cenſum quadringenta fuiſſe, hoc eſt x millia Coronatorum, ſiue Philippicorum, Senatorum autem ſub Auguſto duodecies, ideſt xxx. millia, inter eruditos conuenit. Sed quid nomine cenſus intelligendum ſit, num res, ſiue facultates, & bonorum æſtimatio, an vero reditus annuus à viris doctiſſimis diſputatum eſt. Communis opinio eſt, quæ Budei præſtantiſſimi auctoritate firmatur, cenſus nomine intelligenda eſſe bona omnia, ſiue ſubſtantiam familiarem, ut nemo Eques eſſe poſſet, qui in bonis x millia coronatorum non haberet. Contrarium ſentit Turnebus, cenſum nempe pro annuo reditu accipiendum, ita ut nullus ſedere in quatuordecim poſſet, niſi qui ex bonis ſuis quotannis x coronatorum millia conficeret. Turnebum ſolus ſequitur, quod ego ſciam Iacobus Mazzonius, qui annotationes eruditas in Dan-

Digitized by Google

tis poema Italica lingua edidit, ſicque ſtatuit, cenſum, annuum red-
ditum fuiſſe, nec uno argumento utitur.

Primum illud eſt: ſi cenſus Senatorius, & Equeſter, pro ſubſtan-
tia, & bonorum æſtimatione ſumatur, futurum fuiſſe, ut melioris
conditionis Romæ eſſent Rhetores, medici, atque alii qui victus
cauſa artem ſuam venditabant, quam Senatores atque Equites.
Nam ut de medicorum mercede ſileatur, tradit Suetonius à Veſpa-
ſiano Rhetoribus conſtituta fuiſſe annua centena, ideſt bis mille, &
quingentos coronatos: quæ ſumma multo exceſſiſſet reditum equi-
tum. Multo magis etiam Eumenius Rhetor beatus fuiſſet, Senato-
reſque annuo reditu ſuperaſſet, quem percepiſſe annua ſexcenta à
Conſtantio Imperatore eiuſdem epiſtola teſtatur, ideſt ſi modo
numerus non fallit, xv millia Coronatorum. Hinc ſequi ait Maz-
zonius, Senatores, & equites à Rhetoribus, & medicis annuo cen-
ſu ſuperatos fuiſſe, quod haud veriſimile videtur, duos ſupremos
Vrbis ordines nobiliſſimos, ab hominibus, qui lucri cauſa, artem
ſuam venalem habebant, ſuperatos: & proinde Senatorum, atque
Equitum cenſum non de bonis, ſed de reditu annuo intelligendum.

Quæ ratio quam ſit leuis, ac friuola inde apparet, quod etiam
ætate noſtra, non pauci, & medici, & profeſſores, annuo ſtipendio,
non equitum modo ſed aliquot Senatorum cenſum, inaudita Vene-
tæ Reip. munificentia, non ſine inuidentium gemitu, exſuperant.
Quid? mercatores, daniſtæ, ac trapezitæ, & viliſſimæ mercis inſti-
tores, quam ſæpe procerum, Comitumque, & Marchionum an-
nuos reditus, aut æquant, aut ſupergrediuntur? Num ergo hi il-
luſtriores, atque honoratiores? Sed eo Mazzonius deceptus eſt,
quod x millia coronatorum exiſtimauit, ſummum equitum cenſum
fuiſſe, & ideo facile ab obſcurioribus ſuperatum. Cum illa mini-
ma ſumma eſſet, & ſine qua quis eſſe eques, aut Senator non pote-
rat. Ceterum nemo ambigere poteſt, immenſis illis Romanorum
diuitiis, atque Orbis uniuerſi ſpoliis, plurimos, ac maiorem equi-
tum partem, multo plus quadringentis in cenſu habuiſſe, atque ita
reditus annuos, medicis omnibus, ac profeſſoribus ampliores. Nul-
lus eques eſſe poterat, cui in bonis non eſſent x. millia coronato-
rum, ſed plurimis longe maior cenſus fuit, L. & centum millia: qui
ſi vellent, & à Cenſore legerentur, vel poſt initum Magiſtratum,
Senatores fiebant. Alii licet haberent cenſum Senatorium, in

Digitized by Google

equeſtri ordine manere malebant, ut de Mecenate, & aliis notū eſt.

Secundum Mazzonij argumentum erat. Neronem, ut tradit Suetonius, cap. x. *Senatorum nobiliſſimo cuique à re familiari deſtituto, annua ſalaria* conſtituiſſe, & *quibuſdam quingena*, ideſt XII. M. & D. Coronatos. Ex quo colligit, ſi cenſus bona fuiſſent, non potuiſſe Neronem dare, niſi tria millia coronatorum, etiam ſi x. pro centum fructus captus eſſet, & tamen ait, XII. & D. coronatos dediſſe. Sed hæc quoque ratio non magnum momentum habet. Nam quāuis Senator, aut Eques, caſu, aut prodigentia cenſum imminuiſſet, conſtat Senatorem eſſe deſiiſſe, aut Equitem. Tunc Imperator, præcipue in Senatoribus, cenſum de ſua liberalitate, ſupplebat, quod etiam Tiberium non ſemel feciſſe, tradit Tacitus. Dupliciter autem ſuppleri cenſus poterat: aut tot bona addendo, ut XXX. millium coronatorum æſtimatio eſſet, aut tantum annui reditus aſſignando, quantum ſummam illam conficeret, quæ ex XXX. millibus quotannis redigeretur. Aliquando hanc liberalitatem Cæſar augebat, extraordinario munere, ſed cum paucis. Quod in hoc caſu fecit Nero: nam Senatoribus annua ſalaria conſtituit, quibuſdam etiam quingena, hoc eſt Meſſalæ, ut tradit Tacitus L. XIII. Quod clare indicat, non fuiſſe reditum ordinarium Senatorum: alioquin dixiſſet, à Nerone data omnibus Senatoribus quingena.

Fuit ergo illa peculiaris liberalitas, qualis & Veſpaſiani, de quo Suetonius, *Expleuit cenſum Senatorium*, en liberalitas ordinaria. Mox ſubiicit. *Conſulares inopes D. Seſtertijs annuis ſuſtentauit*, quę fuit munificentia extraordinaria. Non enim quod deerat cenſui addidit, ſed annuo ſalario inopiam leuauit. Alioquin, ſi cenſus, reditus annuus Senatorum fuiſſet, XXX. M. coronatorum, dando XII. M. & D. non ſuppleuiſſet cenſum. Plinius Cæcilius Lib. I. ep. 19. donat Firmo trecenta ad ſupplendum cenſum HS. ſi cenſus pro reditu accipiatur, donaſſet illi ſeptem millia & quingentos coronatos annuos.

Quadringenta igitur, ideſt X. millia in equitibus: duodecies ideſt XXX. M. in Senatoribus, fuit bonorum æſtimatio, ſine qua is gradus obtineri non poterat. Quis enim credat, ut de Equitibus ſileamus, in Senatu, in quo octingenti, interdum mille fuerunt, nullum minus XXX millibus coronatorum in reditu habuiſſe? Cum præterea omnes ferè conſenſu ſtatuant, cenſum fuiſſe æſtimationem rerum, ac

bono-

bonorum factam, ſecundum quam tributa pendebantur, quod Græcis τίμημα, οὐσία, æſtimatio, ſubſtantia. Iuvenalis Satyra xvi.

> *Nam quæ ſunt parta labore*
> *Militiæ, placuit non eſſe in corpore cenſus,*
> *Omne tenet cuius regimen pater.*

Ita & Iuriſconſulti. Vlpianus enim. *Hoc idem, & ſi patrimonium fuerit rogatus reſtituere, & ſi facultates, & ſi quid habeo, & ſi cenſum meum, & ſi fortunas meas, & ſi ſubſtantiam meam.*

In eo quoque fallitur Mazzonius, cum credit, eum qui eques eſſe volebat, debuiſſe nobilitatem ſanguinis, ad avum uſque extendere. Plinius enim Lib. xxxiii. ait, hac de cauſa conſtitutum, *ne cui ius annuli eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, patri, auoque paterno HS. CD. cenſus fuiſſet.* Sed Plinius tantum ait debuiſſe, patrem, atque avum, ingenuos eſſe, non autem nobiles, quod falſum. Cuicumque enim ex plebe extrema, quadringenta fuiſſent in cenſu, ius erat annuli, modo pater, avuſque ingenui fuiſſent, & eodem cenſu prædití. Quod indicat, non omnibus equitibus ius annuli geſtandi fuiſſe.

De Annulis. Si aurei Equitum modo fuerunt quomodo trimodia illa Carthaginem ab Annibale mitti potuerint. Plinij correctio tentata. Laertij Interpres notatus. Cap. XXI.

CVicunque igitur in bonis, & ſubſtantia quadringenta erant; is tria inſignia habebat, queîs à plebe diſtingueretur. Ius anguſti claui in tunica: ſedendi in quatuordecim: atque annulum aureum geſtandi. Quæ ſatis viris doctiſſimis explicata ſunt, de extremo pauca adiiciemus. Plinius Lib. xxxiii. tradit antiquitus, ferreum modo in uſu fuiſſe, ita ut Senatus ipſe longo tempore annulis aureis caruerit, eo argumento, quod illis tantum, qui legati ad exteras gentes ituri eſſent, annuli publice darentur, quod ita exterorum honoratiſſimi intelligebantur, quibus tamen in publico tantum uterentur, domi ferreis: ex quo inſtitutum etiam ſecutis temporibus, ut annulus ferreus ſponſæ mitteretur: imò triumphantes, nonniſi ferreo uſos: & cum corona ex auro ſuſtineretur à tergo,

Digitized by Google

ſo, annulum tamen ferreum fuiſſe, æque triumphantis, & ſerui coronam ſuſtinentis.

Paulatim deinde aureorum uſum inuectum, & ſecundo Punico bello promiſcui uſus factum, nec ab Equitibus modo, ac Senatoribus, ſed etiam à plebe geſtatum: *Quomodo enim* inquit, *aliter poſt cladem Cannenſem, potuiſſet Annibal Carthaginem tres modios annulorum mittere? Alij huic menſuræ dimidium modium addunt: alij unicum fuiſſe modium*, & hanc famam veriorem eſſe affirmat Liuius.

Sed non eſt credibile, in illa paupertate, & continentia, annulos aureos à plebe promiſcue geſtatos. Nam etiam ſi equitum modo, & Senatorum id inſigne fuiſſet, ſumma illa non ita fidem exſuperat, ut quibuſdam viſum eſt, præcipuè ſi ut verior fama fert, unicus ille modius fuit. Non enim hæc vox, eo ſenſu accipienda, quo hodie in uſu eſt. In hac enim Vrbe modius duodecim ſextariis conſtat, alibi dimidia eius parte, alibi etiam minus. Sed apud veteres modium, modicam menſuram fuiſſe inde colligit Budæus de Aſſe, quod Ciceronis teſtimonio, plerumque binis, raro ternis ſeſtertiis valeret, ideſt quinque, aut ſeptem aſſibus cum dimidio.

Id nos clarius ex Seneca confirmabimus, epiſt. LXXX. ubi loquitur de actoribus Tragędiarum, qui ſerui erant. *Ille, qui in ſcena elatus incedit, & hac reſupinus dicit.*

En imperito Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Pulſatur Iſthmus,

ſeruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios. Dimenſum ſcilicet, & cibarium ſeruile in ſingulos menſes, erant quatuor modii frumenti, ut tradit Donatus ad Terentium. *Serui, inquit, quaternos modios frumenti accipiebant in menſem.* Lipſius exiſtimat, fieri potuiſſe, ut honeſtiores pluſculum reciperent, ſicut iſti Tragędiarum actores. Ex quibus colligitur, modium apud veteres fuiſſe menſuram, quæ apud nos, cum ſit quarta pars ſextarii, Quartarius dicitur. Et ita etiam ſi tres modii annulorum in Curia Carthagini effuſi fuerint, ſumma illa incredibilis nō videtur, etiam ſi Equites, & Senatores tantum ius annulorum aureorum habuerunt: multo minus, ſi unus tantum modius fuit, ideſt noſter quartarius. Polybius enim Lib. III. ſcribit, ex ſex millibus equitum, ſeptuaginta tantum euaſiſſe. Quod ſi promiſcuus annulorum uſus fuit,

Digitized by Google

fuit, res credibilior eſt, quando eodem teſte, ad LXX millia Romanorum cecidere. Sed Liuius tradit, Magonem Pœnum, eos annulos in Curia effundentem dixiſſe, neminem, niſi equitem, atque ipſorum primores, aurei annuli ferre inſigne. Hoc tamen glorioſe ab eo dictum exiſtimat Plinius, qui annulos etiam Senatoribus communes fuiſſe ſcribit, quod eſt veriſimile.

Ceterum *peſſimum vitæ ſcelus eum feciſſe, qui primus annulum digitis induit*, idem tradit. Eorum uſum non fuiſſe Iliacis temporibus, inde arguit, quod neque codicillos annulo ſignatos, Homerus prodat, reſque arcis conditas, non annuli, ſed nodi nota clauſas, quodque cum in ſortitione annuli in urnam conijcerentur, ut ex ſingulorum ſignis, ſors noſceretur, nulla apud eundem annulorum mentio, cum duces ex prouocatione ſortirentur, quis certaturus eſſet: nullam pariter eorum mentionem in fabrica Deûm, ideſt Vulcani officina, cum & fibularum, & inaurium mentio fieret.

Quiſquis primus id inſtituerit, *cunctanter id feciſſe* (pudore eius rei) *læuiſque manibus, ac latentibus induiſſe, cum ſi honos ſecurus fuiſſet* (minime inuidiæ obnoxius) *dextra fuerit oſtentandus*. Siniſtra minus in uſu, & apud Græcos pallio, aut chlamydi, Romæ togæ ſubiecta, cuius ſinus læua manu ſubducebatur, eamque operiebat. Aliquis dicere poterat ideo annulum ſiniſtræ inditum, ne in dextra impedimento eſſet. Huic ita reſpondet Plinius, ut Oedipo coniectore ad eum intelligendum opus ſit. *Quod ſi*, inquit, *impedimentum poteſt in eo aliquod intelligi, etiam ſenſertoris uſu, argumentum eſt, maius in læua fuiſſe, qua ſcutum capitur*. Sententia quidem eſt, ſi annulus in dextra impedimento fuiſſet, maius id ſiniſtra futurum fuiſſe, qua ſcutum capitur. Sed illud Sartoris uſus, ut eſt in manu exaratis, Criticorum ingenia merito torſit. Turnebus Lib. VI. 22. quamuis hæſitans, ſic explicat, quod annuli in dextra impedituri fuerint ſartorum operam, non tam facile obligata annulo manu, quam libera, ac nuda, arte ſua uſurorum. Sed cur, ex omnibus artibus, & miniſterijs ſolos ſartores, ſiue ſarcitores elegit Plinius? Potius diceret, id impedimentum ſtringendo gladio futurum fuiſſe.

Rhodiginus Lib. X. c. 4. Inſertorii legit (quod etiam in vetere Veneta editione extat) idque interpretatur lorum annulo ſimile, inter quod, & ſcutum brachium inſeritur, Græcorum τελαμῶνα.

Digitized by Google

Sed præter verbi nouitatem, Plinius loquitur de impedimento dexteræ, at ſcutum in ſiniſtra. Dalechampius *Conſertoris* legit, ideſt militis pugnacis, & bellatoris, qui fortiter in conflictu, cum hoſte manum conſerit. Sed quid eſt iſte uſus conſertoris, & cur pro milite, inſolentem hanc vocem obtruſit?

Si audaci coniecturæ locus eſſet, libenter legerem, *ſalutaris*, quod contracta ſcribendi ratione, in *ſartoris* facile degenerare potuit. Nam cum initio ſoli digito, qui minimo proximus eſt, annullus induceretur: quod idem Plinius teſtatur. *Singulis primo digitis geri mos fuerat, qui ſunt minimis proximi: ſic in Numa, & Seruij Tullij ſtatuis videmus*: cum inquam illi digito inderetur, qui ſalutaris dicebatur, ait Plinius, futurum fuiſſe per annulum in uſu digiti ſalutaris, eo obſtricti, & alligati. Inditus igitur primordio annulus læuæ latenti, & opertæ: neque is dextræ negatus, quod impedimento futurus eſſet, ad digiti ſalutaris uſum, ac miniſterium, cum maius futurum fuiſſet, in ſcuto capiendo. Acutiores meliora afferant. Nam digitus ſalutaris index etiam dicebatur: ut ex Suetonio conſtat Aug. LXXX. *Dextera quoque manus digitum ſalutarem, tam imbecillum interdum ſentiebat, ut torpentem contractumque frigore, vix cornei circuli ſupplemento, ſcripturæ admoueret*. Et ex Martiano de nupt. Philologiæ. *Quidam redimitus puer, ad os compreſſo digito ſalutari, ſilentium commonebat*. Dictum autem ſalutare Beroaldus putat, quod illo ori admoto, ſilentium ſuadebant. Quod Plinius tradat, ſermoni parci, multis de cauſis, ſalutare eſſe. Rectius credo, quod eo ori admoto, ſe inuicem ſalutarent, ſiue illi, ac pollici contractis in unum oſculo impreſſo, ſalutem precarentur. Quidquid ſit, aut etiam indici, ideſt ſalutari annulus inditus, impedimentum eſſe poterat capiendo gladio: aut de loco deplorato, amplius cogitandum.

Digreditur inde Plinius ad annulos ſignatorios, qui initio ferrei epiſtolis, & ſuppellectili obſignandæ, mox aurei, additis gemmis, exquiſite cælatis. Fuiſſe autem quoſdam, qui minimo digito unum modo geſtarent, quo ſignantem ſignabant, ideſt quo annulum ſignatorium clauſum obſignabant. *Conditus ille* inquit, *ut res rara, & iniuria uſus indigna, velut e ſacrario promitur: & unum in minimo digito habuiſſe, pretioſioris, in recondito ſuppellectilis, oſtentatio eſt*.

De

De annulis, quibus ſupellex claudebatur multa Lipſius ad Tacitum. Quibus addere libet Diogenis Laertii locum inſignem, maleque ab Interprete acceptum, in Lacyde lib. IV. *Aiunt eum circa rem familiarem feliciſſime ſe habuiſſe. Quum ex penu promere quicquam voluiſſet, obſignato aditu, rurſus annulum per foramen intrò iaculabatur, ut nihil inde ex reconditis rebus tolleretur. Id cum animaduertiſſent famuli, reſignabant, quæ ſignata erant, & quæ voluiſſent, inde tollebant, ac deinde annulum in porticum per rimam immittebant: Idque cum ſæpe facerent, nunquam deprehendi potuerunt.*

Is igitur philoſophus conſueuerat de more, penum annulo obſignare: deinde ne annulus ille, aut ſubtraheretur ſibi, aut alio caſu periret, eum per foramen in ipſam cellam penuariam iaculabatur, & ſic domo egrediebatur. Id cum ſerui obſeruaſſent, hero acutiores, ſignum reuellebant, penumque ingreſſi, quæ libuiſſet, auferebant: tum ſublato annulo, iterum penum obſignabant, atque eum iterum per foramen iaciebant. Ita cum ſignum illæſum appareret, quotidie aliquid deperibat ex penu, ſagaxque ille Philoſophus furem deprehendere non poterat.

Sed Interpres verba Laertii aſſecutus non eſt. Nam primò, quod in Græco eſt, τοῦτον φασὶ καὶ περὶ οἰκονομίαν γλυκύτατα ἐσχηκέναι. *Aiunt eum, circa rem familiarem feliciſſime ſe habuiſſe.* Quæ eſt iſta felicitas, ſuppilari à ſeruis, & ludibrio haberi? Vertendum erat. *Circa rem familiarem, dulce quid, & iucundum memoratu illi contigiſſe.* Deinde quod ſequitur de ſeruis, qui annulum εἰς τὴν στοὰν iaculabantur, quomodo in porticum, quæ aperta erat clauem mittebant? Sed στοὰ, non ſolum porticum ſignificat, verum etiam ταμεῖα, ideſt loca in quibus frumentum, & alia recondebantur, ut Ariſtophanis Interpres: mittebant igitur in penum, non in porticum.

Sed quod erat iucundius memoratu, à Laertio omiſſum, ex Eumenii fragmento apud Euſebium de præp. Euang. L. XIV. ſuppleuit Caſaubonus ad Laertium. Lacydem hunc, fraude iſta ſeruulorum fuiſſe impulſum, ut ſe eorum ſectæ addiceret, qui τὴν ἀκαταληψίαν defendebant. Dicebat enim *cur ego putem, ſenſu, aliquid certo poſſe percipi, cum toties ſenſus meos falli ſciam? Si quidem quoties domo diſcedo, videor mihi oculis meis videre, quæ in cellam penariam condo. At ego idem reuerſus domum, nihil re ipſa unquam reperio quod promam: quod non fieret, niſi verum eſſet, falli ſenſus noſtros, nec ullam in iis eſſe certitudinem poſſe.*

Digitized by Google

Interior, & exterior, quid apud ſcriptores ſignificet. Turnebi, & Lipſii ſententia expenſa. Cap. XXII.

DE loci dextri, ac ſiniſtri dignitate aduerſus Becanum diſputat Lipſius in Electis, dextrumque ſemper honeſtiorem habitum oſtendit. Illud contrarium eſſe videbatur, quod Ouidius, *interiorem*, in ambulando locum honoratiorem fuiſſe indicare videtur. Faſt. v.

Et medius iuvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat & interior, ſi comes unus erat.

Hunc ſiniſteriorem fuiſſe Seruius confirmat, qui illud explicans, *Dum proram ad ſaxa ſuburget Interior, ideſt* inquit, *ſiniſterior*. Hoc non modice Lipſium turbauit, utque ſe commodum inde expediret, negat interiorem de ſiniſtro intelligendum, & delirare Seruium putat. Sed veterum Criticorum doctiſſimus, id Tullii, & Saluſtii auctoritate defendit. Ille III. in Verrem. *Quem omnia intus canere dicebant*, ideſt, ut omnes interpretantur, *ſiniſtra manu*. Criſpus autem, *Igitur introrſus prima Aſia Bithynia eſt*: ſiniſtrorſum. Præterea idem Seruius ad IV. Æneid. ex antiquo ſcriptore hæc habet. *Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur noua ciuitas, tauro, & vacca, ita ut vacca eſſet interior, à Magiſtratu muri deſignarentur*. Vbi vacca *interior* eſt *ſiniſterior*.

Quæ ſatis oſtendunt interiorem ſitum fuiſſe ſiniſtrum. Contra tamen, interiorem pro dextro accipiendum ex eo colligi poſſe videtur, quod qui ad ſiniſtram ambulabat, exterior dicebatur. Horatius. Lib. II. Sat. 5. *Nec tamen illi, Tu comes exterior, ſi iuſſerit, ire recuſes*: ideſt *ſiniſterior*. Nam *exteriorem ambulare, & latus alicuius tegere, ſiue claudere*, idem erat, ut notauit Turnebus. Horatius enim paulo ante dixerat, *Vis tu tegam ſpurco Damæ latus?* Si iuſſerit ergo, ne recuſes illi exterior comes eſſe, ideſt ad ſiniſtram ambulare, ſiue latus eius tegere. Iuvenalis. *Diuitis hic ſerui claudit latus ingenuorum Filius*. Ergo exterior ſiniſter eſt.

Id etiam confirmat Lipſius ex eo, quod Suetonius tradit Claudium Imperatorem Plautio triumphanti latus texiſſe, quod narrans Eutropius ait, Claudium Plautio *lævum inceſſiſſe*. Ita cum latus tegere, ſiue claudere, idem eſſet, ac lævum incedere, idemque

pariter

Digitized by Google

pariter eſſet, exteriorem ambulare, ſequitur, exteriorem ſiniſtrum; interiorem, dextrum fuiſſe, quod Lipſius contendit.

Sed ante Lipſium multum æſtuauit Turnebus Lib. XIV.24. Quærit ibi, quid apud Horatium ſit *Exterior*, & ſiniſtrum interpretatur. Id autem à Circi conſuetudine ortum ait, ubi ad metam, inquit, flectebant in dextrum curſum, unde &, *Dextratio*, appellata eſt. *Ita dexter qui erat, interiore flectebat gyro, quemadmodum lævus exteriore. Sed & equus ſiniſterior ampliorem luſtrabat Orbem, quam dexterior, itidem rota.* Ouidius III. amorum. *Nunc ſtringam metas interiore rota, ideſt* breuiore. Hæc ille. Mox ſupra laudatum Ouidii inuertit, ut oſtendat interiorem locum fuiſſe dextrum, & contra omnium editionum fidem, legit. *Ibat & exterior, ſi comes unus erat.*

Ita ſummus ille vir, nihil huc affert, quod veterum auctoritati penitus non repugnet. Primum omnium, notiſſimum eſt, & antiqua monumenta à Panuinio, & aliis edita, manifeſte oſtendunt, in Circo, ab dextro in lævum, currus agitatos, ita ut non dexter equus, ſed ſiniſter, item ſiniſtra rota, ſemper metæ propinquior eſſet: atque ita non ſiniſter equus, ſed dexter, amplius ſpatium luſtrabat, quippe à meta remotior: ſic & rota ſiniſtra metæ propior, minus ſpatium luſtrabat, quam dextra. Et cum ſepties meta flecteretur, ſemper flexus in ſiniſtrum erat, ſemperque ſiniſtra currus pars, ſpinæ Circi, ac metæ vicinior erat, & quod idem eſt, interior.

Hinc factum eſt, ut cum ſiniſtra pars in quadrigarum agitatione ſemper interior eſſet, interior pro ſiniſtro acciperetur, cum tamen proprie viciniorem ſignificet. Virgilius in nauium certamine, quod ſimulacrum Circenſium curulium fuit, cum etiam naues in lævum, flecterent metam, Sergeſto nimis metæ appropinquante, ait eum *interiorem, egiſſe nauem ad ſcopulos*, quod Seruius *ſiniſteriorem*, interpretatur, ex uſu magis Circenſium, quam quod proprie interior ſit ſiniſter. Quod cum negare non poſſet Turnebus, eiuſdem libri capite quarto, ait, Sergeſto eueniſſe, ut ſiniſter eſſet: cuius oblitus, cap. 24. ſtatuit dextrum in Circo fuiſſe interiorem. Cum tamen capite quarto, *Interiorem*, recte interpretetur, qui propinquiore ſpatio ac breuiore ad ſcopulum pergebat, ut apud Ciceronem in Arato. *Nam curſu interiore breui conuertitur Orbis.* Sed hæc ſiniſtra pars erat, non dextra: ex quo non recto talo ſtat Turnebi ſententia, qui interiorem, dextrum interpretatur, à Circi conſuetudine.

Digitized by Google

Lipſius aliud quid excogitauit, cur in ambulando interior eſſet dexter. Nempe Quiritium conſuetudine, cum duo incederent, non æqualiter inceſſiſſe, ſed ita ut inferior dignitate, honeſtiorem paulatim præcederet, tanquam viam faceret, & ſe innixui præberet, ad eum plane morem, quo Matronas gradientes ſeruuli ſuffulciunt, atque ſuſpendunt. Atque ita honeſtiorem, qui ad dextram, interiorem dictum, exteriorem, qui ad ſiniſtram: quæ & ipſa haud dextro pede procedunt.

Vt igitur rem confragoſam, & implexam expediamus. Vox interior, ſi prima, & genuina origo reſpiciatur, neque dextrum, neque ſiniſtrum ſignificat, ſed viciniorem, & propinquiorem. Quia autem, ut diximus in Circenſibus curſus in læuam partē erat, & ideo equus, ac rota ſiniſtra vicinior metæ, quodque idem valet, interior, factum inde eſt, ut in reliquis rebus ſiniſtra pars, interior diceretur. Ceterum in ambulando, *Interior*, neque dexter, neque ſiniſter dicebatur, ſed qui parieti vicinior erat, hoc eſt, intra parietem, & comitem, qui adambulabat, iſque inde, *exterior*, dicebatur, hoc eſt à pariete, remotior. Cum tres ergo incederent, honeſtior in medio: cum autem duo tantum, qui dignitate præſtabat, parieti propior, ut nunc fit, ambulabat, & ferme ad dextram viæ partem, atque ita eius comes, erat illi lævus, & exterior, idemque latus tegere, & claudere dicebatur. Non quod veluti pro ſcuto eſſet, ut ait Turnebus, quodque in acie ad læuam adſiſteret, & dum ſcutum ad dextram vertimus, nudum latus protegeret. Sed quia, qui inter duos ambulat, utrumque latus tectum & munitum habet: qui autem uno comite graditur, unum latus pariete tectum habet, alterum ab eo clauditur, qui cum eo ambulat.

Et quoniam ferme ad dextram viæ partem incedimus, hinc fit, ut exterior dicatur, qui ad ſiniſtram ambulat. Si quis tamen, quod ſæpe uſu euenit ad læuam viæ partem ambulet, comes ad eius dextram erit, & nihilominus pariter, exterior dicetur, remotior ſcilicet à pariete, cui qui proximus eſt *Interior*, dicitur, intra parietem, & comitem conſtitutus. Ex quo apparet, Interiorem, nec dextrum, nec ſiniſtrum fuiſſe, ſed pro ſitus ratione, eum modo, qui parieti propinquior, ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram parietis partem ambularet. Eadem prorſus ratione, ſi in Circo, contra morem quadrigæ flexiſſent in dextrum, dexter equus, & rota fuiſſent interio-

res,

Digitized by Google

res, ideſt ſpinæ, & metæ viciniores.

Non alia igitur Ouidii ſententia eſt, quam iuiſſe medium, cum plures incederent, & cum unus tantum comes, Interiorem, ideſt ædibus viciniorem, quod ferme, ut hodie fit, ad dextram viæ partem. Hinc decedere de via, ac ſemita, erat magiſtratui, & honeſtioribus, locum cedere, ideſt propinquiorem ædibus, ſiue illi ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram incederent. Item cum lictor ſubmoueret, iubebat viatores locum digniorem magiſtratui concedere. Neque tamen hæc interpretatio quidquam Becanum iuvat. Nam ut diximus *Interior*, neque dexter, neque ſiniſter ſed medius inter ædes, & comitem adambulantem, *exterior*, qui latus Interioris tegebat.

Idem, longo poſt tempore cum doctiſſimo Sirmondo ad Sidonium, animaduerſum inueniſſem, haud equidem inuidi hanc laureolam ereptam eſſe, lætatus magis ſum opinionem noſtram tanti viri auctoritate firmatam. Is ad hanc rem adducit carmen Sidonii XXIII. quo, *dexteriorem concitatum*, appellat *exteriorem*, & *currum intus actum*, ſiniſteriorem. Colligit nihilominus, interiorem in inceſſu, perinde ut ceteris in rebus, nunc dextrum eſſe, nunc ſiniſtrũ, neutrumque ad vim nominis pertinere: ſed fortuito euenire, prout ad dexteram, aut læuam id fuerit, cui propior is eſt, qui dicitur interior.

Interior Lecti ſponda. Intus accumbere. Catullus explicatus. Cap. XXIII.

INteriorem, non dextrum, aut ſiniſtrum eſſe, ſed viciniorem ſignificare, illud etiam argumento eſt, quod antiqui ſpondam lecti interiorem vocabant, quæ propior parieti, alteram exteriorem: in illa mulieres, in hac viri cubabant, ut ad Hiſt. Aug. Salmaſius notauit. Veneti, exteriorem ſimpliciter *ſpondam* appellant, ut & Martialis.

Sponda, qui parte iacebat,
Namque puer pluteo vindice tutus erat:

interiorem iidem Veneti, calliculam, ſicut Inſubres *ſtretta* quod ita parieti proxima ſit, ut veluti anguſta ſemita, lectum à pariete diſcriminet. *Interior*, inquam, *ſponda*, non ſiniſtra, aut dextra, ſed

parieti

parieti propior. Nam licet, ut hodie quoque fit, ita lecti ſtatuerentur, ut ſiniſtra ſponda vicinior parieti eſſet, aliquando tamen iuxta cubiculorum ſitum, dextra ſponda prope parietem adſtituitur, quæ nihilominus interior. Idem in lectis tricliniaribus factum, quorum ſponda menſam contingens interior dicta, in qua uxores, & amicæ cubabant, quæ idcirco, interius accumbere dicebantur.

Sed Lipſius, interiores cubuiſſe ait, quibus alius, aliave in ſinu erat. Nititur auctoritate Catulli in Epithalamio.

Cernis intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in thoro,
Totus immineat tibi?

In veteribus editionibus legitur, *Cernis unus ut accubans*. Sicque habet Palladius Fuſcus, qui primus, ut opinor, Catullum interpretatus eſt. Et Alex. Guarinus in expoſitionibus ſic explicat, *in cathedra ſediſſe ſponſum opperientem ſponſam*. Non enim in lecto fuiſſe, ex eo colligi, quod infra ſequitur. *Iam licet venias marite, Vxor in thalamo tibi eſt*. Sed nihil obſtat: nam in lecto tricliniari tunc ſponſus iacebat, poſtea genialem thorum cum ſponſa initurus. *Vnus*, etiam retinuit diſertiſſimus Muretus.

Primus Achilles Statius vitium deprehendit, & quamuis *Vnus*, & *Vnius*, in omnibus manu exaratis repeviſſet, *Intus*, recte repoſuit. Scaliger, *Imus*, maluit, quod etiam in MSS. extare teſtatur Statius. Imum autem *Interiorem*, interpretatur. Non enim potuiſſe immiñere ſponſæ, niſi illa introduceretur exteriore ſponda. Sed neſcio quomodo *Imus* pro interiore accipi poſſit. Magis igitur placet, *Intus*: ut ſit Catulli ſententia, maritum, dum ſponſam operitur in lecto tricliniari, cubuiſſe interiorem, nempe digniore loco. Saluſtius Hiſt. III. *Itaque diſcubuere Sertorius interior in medio: ſuper eum Tuſcus Fabius Hiſpanienſis: infra ſcriba Sertorij:* Quanquam ibi *Interior*, de ſiniſtro lecto intelligi poſſit. Cubuiſſe, inquam, ſponſum interiorem, ita tamen, ut de more ſponſam ſinu excepturus eſſet, & ita loco digniore ceſſurus, quæ inde interior cubitura erat. Hæc Catulli mens eſſe videtur, quam Interpretes non aſſecuti ſunt. Simplicius eſſet dicere ſponſum dum nuptam opperitur, cubuiſſe intus in lecto maritali: ſed obſtant quæ ſequuntur, ut monebat Guarinus. *Iam licet venias marite, Vxor in thalamo eſt tibi*. Si quis tamen cum Scaligero, propius MSS. fidem, *Imus*

reti-

retineat, & intelligat, reſpectu eius, qui ſupra cubabat, ut eſset tunc in ima lecti parte, excepturus ſinu ſponſam, non multum à vero ſenſu aberrabit.

Non ergo intus cubare dicebatur, cui alius, aliave in ſinu erat, ut cenſet Lipſius, ſed contra, qui, quæve in ſinu alterius cubat, is, eave, interior cubare dicitur. Difficile tamen intellectu eſt, quod infra ſequitur. *Iam licet venias marite, Vxor in thalamo eſt tibi.* Sed unde veniet, qui iam cubabat? Quod vidit Paſſeratius: cum etiam ſequatur. *Perge, ne remorare. Non diu remoratus es. Iam venis.* *Ergo*, inquit ille, *vel in toro altero vir ante cubabat, vel in conuiuali.* Sed cur in altero toro, aut conuiuali? Nempe in quo ſimul cænatura ſponſa. Verum nulla cœnæ nuptialis mentio: & ſi ea fuiſſet, longa mora interceſſiſſet. Expendant doctiores. Etiam Salmaſius recte ſtatuit, intus accubuiſſe mulieres, ideſt in gremio maritorum. Apuleius. *Accumbebat ſummum torum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus.* Sed cur hic maritus cubat intus? Ceterum obſeruat eodem loco Salmaſius, etiam in lectis tricliniaribus ſpondam interiorem fuiſse, & pluteum, verum contrario modo: nam in cubicularibus eandem rem fuiſse ſpondam interiorem, ac pluteum, (munimentum ſcilicet ſpondæ adſtitutum, ne cubans decidere poſset) at in tricliniaribus, ſpondam interiorem dictam, quæ menſæ admouebatur, exteriorem vero, pluteum. Et plutei quidem mentio apud Suetonium in Caligula, & eius figura in antiquis marmoribus apud Vrſinum de triclinio. Sed ferme in ſtibadio, aut cum unus, vel duo diſcumberent. Nam ſi in lectis tricliniaribus pluteus fuiſſet, non video, quomodo conuiuæ lectos aſcendere potuerint, niſi ut ſupra diſcumbentes ſcanderent, etiam ſi per illud ſpatium, quo epulæ in menſam ferebantur. In ſponda igitur interiore & in virorum gremio ſponſæ, ac ſponſi turpes cubabant, unde illud in Cæſarem, *Regia lectica Nicomedis ſpondam interiorem fuiſſe.* Quod tamen non ſemper obſeruatum eſſe, declarat Martialis Lib. III. 91. ubi Galli Cybeles Achillam puerum dolo exciſuri, ab eo percunctantur, qua parte cubaret, quod fruſtra feciſſent, ſi omnes tunc mulieres, quique mulierum loco, ad interiorem ſpondam iacuiſſent. Mentitus ille quidem eſt, nempe ſe in exteriore ſponda cubare ſolitum, cum tamen ad pluteum.

Exciduntque ſenem, ſponda qui parte iacebat,

Namque

Namque puer pluteo vindice tutus erat.

Hoc ergo ferme in cubicularibus lectis obſeruatum. Poeta ſpondam ſimpliciter appellat, quæ exterior, pluteum autem pro interiore; quæ pluteo muniebatur.

Porro aliud eſt, quod habet Horatius Epodon III. *Extrema & in ſponda cubet.* Vbi *extrema ſponda*, eſt ultima lecti ora, in quam iubet Flaccus puellam recedere, ſi forte cum ea iaceat amator, qui allium cicutis nocentius, eſitauerit. Iubet, inquam, puellam, contra hoc virus, naſorum peſtem, manum, ſauio amantis opponere, & in extremam tori ſpondam ſe ſubducere.

Intus canere. Quomodo Ciceroni dicatur Verres, Aſpendium citharistam artificio ſuperaſſe. Cap. XXIV.

SEruius ſupra laudatus, ut oſtenderet, *Interiorem*, ſiniſteriorem eſſe, uſus eſt auctoritate Ciceronis III. in Verrem. Cuius verba heic inſeram, quia Ciceronis iocum minime aſſecutus eſſe Turnebus videtur. *Hoc dico*, inquit, *nullum te Aſpendi ſignum reliquiſſe: omnia ex phanis, ex locis publicis, palam, ſpectantibus omnibus ploſtris euecta, aſportataque eſſe. Atque illum Aſpendium citharistam, de quo ſæpe audiſtis, id, quod eſt Græcis hominibus in prouerbio, quem omnia intus canere dicebant, ſuſtulit, & in intimis ſuis ædibus poſuit, ut etiam illum ipſum artificio ſuo ſuperare videatur.* Quæ ſic Turnebus Lib. XIV. 4. interpretatur. *Cum intus canere ſit ſiniſtra cordas carpere, tacita quadam muſica, nec foris audita, & ideo auditori carmen ſuſſuretur: ita cum ſiniſtra intus canerent, & ad furtum uterentur* (ut ex illo Catulli, *manu ſiniſtra Non belle uteris in ioco*) *ideo citharædum illum à Verre ſuperatum artificio dico, quod Verres melius intus caneret, ideſt furaretur.*

Sed non eſt hoc Ciceroniani ioci acumen. Non enim Aſpendii artificium fuit, furari, ſed intus canere, atque ita Verres furando Aſpendium non ſuperauit. Docebit hoc Aſconius, qui ad hunc locum, *Cum canunt*, inquit, *citharistæ, utriuſque manus funguntur officio: dextra plectro utitur, & hoc eſt foris canere, ſiniſtra digitis chordas carpunt, & hoc eſt intus canere. Difficile autem, quod Aſpendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, ſed omnia, ideſt veram cautionem intus, & ſiniſtra tantum manu complecteretur,*

tur: unde omnes quotquot fures erant, à Græcis Aſpendij citharistæ, id prouerbio dicebantur. Quod ut criminis (lege carminis) *ita iſti furtorum occultatores erant. Valet hoc prouerbium, & in eos, qui multum inteſtinis ſuis commodis conſulunt, præter honeſtatem.*

Iocus ergo Ciceronis in verbo *Intus* & *Intimis*. Intus canebat Aſpendius, Verres eius ſimulacrum in intimis ædibus collocauit, atque ita Aſpendium reddidit interiorem, vel interius canentem, & proinde eum, ſuo ſibi artificio ſuperauit. Neque ab hac Aſconii interpretatione diſſentit Manutius. Ac ne quis dicat, in hoc Aſpendium à Verre, artificio ſuperatum, quod quemadmodum ille cantum occultaret, ſic Verres furta. Primum contra Aſconii interpretationem id eſſet: deinde etiam contra Ciceronis mentem, qui ait, omnia ex phanis, & locis publicis palam, ſpectantibus omnibus plauſtris euecta, aſportataque eſſe.

Porro in Pædiani verbis obſeruandum eſt, cantum dici, non vocis, ſed fidium, & pulſatæ citharæ ſonum. Nam citharistas, & citharædos, eo diſtinctos notum eſt, quod citharistæ, tantum chordas digitis, vel plectro percurrerent, at citharædi vocis cantum citharæ ſono adiicerent, ut vox ipſa declarat. At heîc Aſconius cantum, & carmen appellat merum fidium ſonitum, cum ait, citharistas in cantu, utraque manu uſos, quod non ita facile alibi occurret. Virgilius de Iopa citharædo,

Cithara crinitus Iopas, Perſonat aurata.

Mox.

Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores.

Sed etiam citharædi *intus canere*, dicebantur, cum domi, ac ſibi ſolis canerent. Vnde prouerbium, ut ait Aſconius in eos, qui ſuis dumtaxat commodis conſulerent, non habita aliorum ratione. Cicero in Rullum. *Atque hoc carmen Tribunus non vobis, ſed ſibi intus canit.*

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

OCTAVII FERRARII ELECTORVM

LIBER SECVNDVS.

De Tunica Chriſti Domini Inconſutili, & veſtimentorum eiuſdem diuiſione, ac ſortitione à militibus facta. Cap. I.

QVid eſſet tunica inconſutilis, & quo artificio confecta, ſatis à nobis in Commentario de re Veſtiaria, & in Analectis diſputatum eſt. Sed quoniam aliqua ſuperſunt, in extremo illo reparatæ humanæ ſalutis actu, à viris doctis nondum ad liquidum perducta, non abs re futurum putamus, ſi in iis quoque explicandis operam collocemus. Ergo Ioannis Cap. XIX. de militibus ſupplicij exactoribus, hæc habentur. *Acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.*

Caſaubonus in exercit. ad Baronium, à magni nominis Theologis quæſitum tradit, primo, quæ veſtimenta, voce ἱμάτια Ioannes intelligat: deinde quot veſtes Chriſtus D. ad ſupplicium attulerit: tertio quid ſit facere partes: quarto, qualis fuerit illa tunica: quinto quid veſtis inconſuta: ſexto, quid, contexta per totum: ultimo utrum omnia Chriſti indumenta ſorte fuerint diuiſa, an ſola tunica inconſuta?

Qnod ad primam quæſtionem attinet, quid Ioannes per τὰ ἱμάτια intellexerit, cum quidam olim exiſtimauerint, ea voce, quæ numero multitudinis eſt, non unam aliquam veſtem ſignificari, ſed plures, Caſaubono aſſentimur, pluralem numerum hoc loco, pro ſingulari poſitum; & ideo unam tantum veſtem exteriorem fuiſſe, hoc eſt pallium, ſiue illud Græcanico ſimile fuerit, ſiue diuerſum. Non enim credibile duo, aut plura pallia geſtata, ſicut neque duas togas; & quoties τὰ ἱμάτια occurrit de pallio intelligendum.

Vnde

Digitized by Google

Vnde futilis eorum coniectura apparet, qui putarunt quinque veſtimenta à Chriſto D. ad ſupplicium allata, quod ſcilicet dicatur, ſingulis militibus (erant autem quatuor) partem veſtimentorum ceſſiſſe. Addita tunica, fuerint quinque. Quam coniecturam olim Euthymius exploſit: qui tamen credidit, tria veſtimenta à Chriſto D. geſtata, pallium, tunicam inconſutilem, quæ corpori adhęreret,& alteram tunicam ſuperiorem.Sed hęc ſententia Caſaubono merito diſplicuit. Ratio tamen, quam affert, nobis probari non poteſt. *Nam ſi*, inquit, *Chriſtus duas tunicas geſtauit, altera fuit lanea, & altera linea: cum autem linea ſumeretur prius, & corpori interior adhæreret, ſequeretur tunicam inconſutilem fuiſſe lineam, aut ſaltem non fuiſſe interiorem, contra comunem opinionem, eam nempe fuiſſe ἐρεοῦν, id eſt laneam*. Hæc inquam ratio nulla eſt, quia ea tempeſtate lineæ tunicæ in uſu nondum erant, neque apud Hebræos, Græcos, & Romanos, quæ ſucceſſu temporum inductæ ſunt. Vtraque tunica, interior, & exterior, lanea, ſicut & cætera veſtimenta, ut alias à nobis demonſtratum eſt. Imo Ioſephus Lib. IV. Antiquit. tradit veſtimenta e lino ſimul & lana Iudæis interdicta, quia ſacerdotum erant.

Neque vero alteri Caſauboni ſententiæ ſubſcribere poſſumus, ſi fuerunt duæ tunicæ Chriſti D. de quo tamen dubitat, eam fuiſſe lineam ab inconſuta diuerſam, cuius tamen non meminerit Ioannes, quia intima illa linea detracta à militibus non ſit, ſed tegendæ nuditati relicta. Nam præterquamquod, ut ipſe fatetur, D. Ambroſius,& alii Patres, de nuditate Chriſti in cruce pendentis obſeruant, certum eſt, eos qui ſupplicio afficerentur nudos fuiſſe, & quidem toto corpore. Quod etiam factum Liuiæ Auguſtæ apud Dionem confirmat, cui incedenti per Vrbem, cum aliquis nunciaſſet, paulatim à via deflecteret, ne in eos incideret, qui ad ſupplicium nudi trahebantur reſpondit, honeſtas matronas iis oculis ſpectare nuda corpora hominum, quibus, in templo inueſtes Deorum ſtatuæ aſpicerentur.

Verius ergo, quod idem ſtatuit, Chriſtum D. duas tantum veſtes ad ſupplicium attuliſſe, & toto vitæ tempore geſtaſſe, ſcilicet tunicam unam inconſutam, & pallium. Non tamen, quod tunc ita omnes Iudæi incederent, & reliquæ gentes. Nam ut de antiquiſſimis temporibus hoc concedamus, per id tempus vulgo mortales,

ſaltem duas tunicas geſtabant, aliqui plures, interiorem, ſiue ſubucu-
culam, & exteriorem. Sed quia Chriſtus D. ſtrictius, ac ſeuerius vitæ inſtitutum ſecutus, unam tantum geſtaret, altera abdicata, veluti ſuperuacua: idcirco duas tunicas etiam diſcipulis ſuis interdixit, ex quo factum, ut unius tantum Euangeliſtæ meminerint. Vnde apparet, Chriſtum D. non quinque, ac ne tres quidem veſtes geſtaſſe, ſed duas modo, tunicam ſcilicet, & pallium.

Tertia quæſtio erat, quid eſſet facere partes. Euthymiani, qui volebant à Chriſto quatuor veſtes allatas, ſingulas ſingulis militibus datas crediderunt, ſine ulla ſciſſione. Euthymius, qui duas tunicas, & pallium Chriſto tribuebat pallium, & tunicarum alteram ſciſſam credidit. Solum pallium ſciſſum fuiſſe Caſaubono aſſentimur. Sed quod è quatuor pannis, certo modo inter ſe iunctis pallium illud conſtaret, unde à Græcis τετράγωνον, ſiue *quadrangulum dictum ſit*, incertum adhuc eſt, an illa pallia quadrangula dicta ſint, quod eſſent è quatuor pannis confecta, an vero quod eſſent aperta, & haberent quatuor angulos: incompertum etiam eſt, an pallia Græcorum fuerint quadrangula, & ſi fuere qualis eſſet hæc forma.

Qualis autem fuerit Domini tunica, quarto loco propoſitum fuit. Ioannes duas notas propoſuit huius tunicæ peculiares, quod nullam ſuturam habuerit, & quod fuerit à ſumma parte ad imam per totum contexta. Porro Caſaubonus digreditur ad explicandum ea, quæ cum aliis tunicis habebat communia hæc tunica inconſutilis. In primis hoc veſtibus interioribus commune fuiſſe, ut non eſſent laxæ, ſed aptæ membris, & adſtrictæ corpori. Ait præterea, tunicam iſtam fuiſſe talarem, auctoritate Nonni, qui tradit illam à ceruice demiſſam in talos. Sed notum eſt, quam ſæpe, & ſolens Græcus ille nugetur. Cum enim tunicæ talares, tam apud Græcos, quam apud Romanos, infames, ac probroſæ fuerint, non eſt credibile, Iudæos, & Chriſtum D. iis tunicis uſos fuiſſe, ſed ut apud Romanos, ad medium ferè crus pertinentes. Alioqui nullum diſcrimen in veſte virili fuiſſet, ac muliebri, cum utriſque talaris tunica eſſet. Adiicit, videri ſibi, etiam manuleatam fuiſſe tunicam illam, & quidem manicis ſtrictis, quales ſunt Camiſiarum. Sed tunicas manuleatas pariter fuiſſe probroſas, nemo iam ignorat. Ita quod ſubdit, quales Romanorum fuere, turpiter labitur, nam tunicas Romanorum habuiſſe quidem manicas, ſed quæ tantum ad

Digitized by Google

cubitum peruenirent, reliqua parte brachii nuda, veteres ſtatuæ, & nummi, tam clare demonſtrant, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Quod ſi quis tunicam manuleatam, ideſt uſque ad manus manicis pertinentibus geſtaſſet, eum male audiſſe, tanquam mollem, & effœminatum, etiam hoc notiſſimum eſt. Si ergo talis tunica Domini, qualis Romanorum, quod eſt veriſimile, manicas habuit uſque ad cubitum, reliqua brachii parte nuda.

Quinta quæſtio erat, quid eſſet veſtis inconſutilis, & quid, deſuper contexta per totum, cui in commentario de re Veſtiaria, & in Analectis ſatisfactum eſt. Reliqua ſunt in procliui, neque explicatione indigent. Illud modo quo ſortium genere milites uſi ſint. Vulgo creditur, iactu teſſerarum id actum, quod pictores ſequuntur. Sed Nonnus in paraphraſi D. Ioannis micantibus digitis ſortitos credit. De quo Ptolomæus Epheſtionis apud Photium. *Prima Helena repperit ſortem per digitos, & cum Alexandro ſortiens vicit.* Verba Nonni ſunt ad Caput XIX. *Ne diſcindamus Chriſti tunicam inconſutam, aiunt milites, ſed ſuper ea digitos manus mittentes, ſortitione videamus contentionis experte, cuius ea erit.* Idem Lib. XXIII. *Erat ſortitio* inquit, *indiſcretis manuum iactibus, ſequens varios digitorum modos, quos interdum ſublatos erigebant, interdum in pugnum includebant, compreſſos in vinculum.* Salmaſius tamen exiſtimat, fuiſſe vulgarem morem, mittendi ſortes in urnam: *Et ſuper veſtimenta mea miſerunt ſortes.* Sed etiam micatio, ſicut teſſeræ, & tali, ſors pariter fuerunt. Et expeditius fuit militibus digitis decernere, quam urnam & ſortes arceſſere.

Braccarum uſum Hebræis, Græcis, ac Romanis incognitum fuiſſe. *Cap. II.*

TVnicas Hebræis, Græcis, ac Romanis geſtatas, quæ clauſæ, & ferme ad medium crus pertinebant, ob hanc cauſam, olim diximus, ne occulta corporis renudarentur, cum nullus apud eaſdem gentes, eius veſtimenti uſus eſſet, quem hodie braccas, ſiue femoralia, ac feminalia appellamus. Id non uno argumento vir ſummus Caſaubonus ad Suetonium, & Theophraſti characteres confirmauit. Quorum illud primum, ac præcipuum erat, nullam apud Græcum, ac Latinum ſcriptorem vetuſtiorem, extare earum

men-

mentionem, ac ne appellationem quidem, niſi barbaram. Tacitus Lib. II. Hiſt. de Cecinna. *Ornatum ipſius municipia, & colonia, in ſuperbiam trahebant, quod verſicolore ſagulo, braccas, tegmen barbarum indutus, togatos adloqueretur*. Nempe Medorum, & Perſarum, ut ex Herodoto, ex Xenophonte, item Ouidio, & Perſio notum eſt: De Medis Perſius. *Braccatis illita Medis Porticus*. De Perſis Herodotus Lib. I. Vbi Sandanis dehortans Cræſum, ne Perſis bellum inferret, inter cetera ait. *Aduerſus tales viros expeditionem paras Rex, qui coriacea ſubligacula, ἀναξυρίδας, braccas è pellibus gerunt, qui è corio reliquam veſtem ferunt*. Et Lib. III. *Ipſam manum intra braccas tenuiſſe abditam*, & alibi non ſemel. Ariſtophanes θυλάκας vocat, laxas ſcilicet inſtar ſacci, quales hodie videmus, geminas fęminarum cyclades: nec mirum, cum ipſæ mulieres braccatæ, & altius cinctæ conſpiciantur. Gallorum etiam, & Germanorum tegmina fuerunt. Suetonius in Cæſare.

Gallos Caſar in triumphum ducit, ijdem in Curia.
Galli braccas depoſuerunt, latum clavum ſumpſerunt, ideſt tunicam laticlauiam. Hyginus Aſtron. Lib. I. *Eos videmus, qui proxime ſunt Arcticon finem, uti braccis*. Alterum Caſauboni argumentum, quod in cultu Græcorum, & Romanorum, ſi breuior tunica fuiſſet, eæ partes patebant, quæ melius celantur. Theophraſtus in deſcriptione hominis inepti. *Reducta ad genua veſte ita ſedebat, ut nuda corporis partes apparerent*. Similis indecentia eorum, qui veſtem conſulto adducebant, ut apud eundem Theophraſtum, in deſcriptione hominis impudentis, quem ait, *ſolitum veſte adducta, pudenda oſtendere*. Aliquando tamen imprudentia hoc eueniebat, ut in Philippo Rege, qui cum in auctione, qua captiui vendebantur, reducta tunica parum decenter ſederet, ut narrat Plutarchus, acceſſit ad eum captivus, tanquam aliquid ſecreto loquuturus: & *demitte*, inquit, *Rex pauliſper chlamydem, indecore enim hoc modo ſedes*.

Addere alia libet, ut hoc magis confirmetur. Iulius Cæſar, cum in Senatu, infeſtis percuſſorum ictibus ad necem peteretur, metuens, ne cadendo occultas partes renudaret, *toga ſinum*, ut inquit Suetonius, *ad ima crura deduxit*, quo opus non fuiſſet, ſi illæ braccis obuelatæ fuiſſet. Trebellius narrat Saturninum iuſiſſe milites in conuiuio diſcumbere cum ſagis, ne inferiora denudarentur, ſcilicet breuioribus militum tunicis, quæ ſupra genua, quod non accidiſ-

Digitized by Google

let, ſi braccarum ſepto obuallata fuiſſent. Præterea Martialis Lib. III. de quodam haruſpice Tuſco, qui cum hircum Baccho mactaturus eſſet, dixerat ſorte agreſti, rudique viro, ut acuta falce hirci teſtes ſecaret, quo teter odor immundæ carnis abiret. Sed dum ipſe haruſpex, curvus, ac pronus, luctantia colla reſecat, & manu tenet, quod breuior tunica eſſet,

Ingens iratis apparuit hernia ſacris,
Occupat hanc ferro ruſticus, atque ſecat.
Sic modo qui Tuſcus fueras, nunc Gallus haruſpex,
Dum iugulas hircum, factus es ipſe Caper.

Si braccas habuiſſet, utique ſalua vaſa domum reportaſſet.

Hebræis quoque id tegmen inuſitatum fuiſſe certum eſt. Exodi xx. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Hoc explicatur Capite XXVIII. *Facies, & femoralia linea, ut operiant carnem turpitudinis ſuæ, à renibus uſque ad fæmora, & utentur eis Aaron, & filij eius, quando appropinquant ad altare.* Quod ita explicat D. Hieron. ad Fabiolam. *Braccas ab umbilico ad genua uſque porrectas, quibus verenda celantur.* Quod clare indicat, ſolis ſacerdotibus, qui ad altare accedebant, braccarum uſum fuiſſe.

Vt ad Romanos redeamus, adeo illis braccarum uſus ignotus, ut eas etiam execrati ſint, nec ſine indignatione referat Ouidius, Triſt. v. Ponti accolas quoſdam braccas geſtaſſe, cum eſſent Græcis oriundi.

Hos quoque qui geniti Graia creduntur ab Vrbe,
Pro patrio cultu, Perſica bracca tegit.

Et Lib. III.

Pellibus, & ſutis arcent mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore ſola patent.

Sed viri docti contra tendunt, & Latinis ſcriptoribus cognita fęmoralia, & ſęminalia, quæ nihil aliud quam braccæ fuerunt, ex Suetonio oſtendunt de Auguſto frigoris impatiente. *Inſuper fęminalibus, & tibialibus muniebatur.* Sed recte Caſaubonus, fęmoralia, & tibialia, nihil aliud fuiſſe docet, quam faſcias, quibus antiqui pedes, crura, & fęmora inuoluebant. Earum uſum primo in ægrotis, & imbecillibus, ad frigus defendendum, à quibus poſtea ſumpſerunt homines delicati, & molles. Horatius.

Ponas

Ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia.

Vbi Lambinus perperam faſciolas, quibus coronæ ligabantur, interpretatur, quid enim illæ ad morbum? Rectius vetus Interpres, *brachiorum, & pedum veluti vittas*, explicat. Quintilianus L. XI. *Palliolum, ſicut faſcias, quibus crura veſtiuntur, & focalia, & aurium ligamenta, ſola excuſare poteſt valetudo.*

Porro faſcijs pedulibus cępiſſe Romanos extra valetudinem uti Ciceronis temporibus exiſtimat Salmaſius. Varron. de Lib. educ. *Mihi puero inquit Cato, una fuit tunica, & toga, ſine faſcijs calceamenta*: Faſcias enim intelligi pedules, de quibus Vlpian. de auro, arg. leg. *Faſciæ crurales, peduleſque & impilia veſtis loco ſunt, quia partem corporis veſtiunt.* Vnde idem coniicit, per ea tempora & crurales, & pedules in frequenti uſu fuiſſe, quando Iuriſconſultus, eas numerat inter veſtes ordinarias. Sed Varronis ætate faſcias crurales, adeo remnouam fuiſſe, ut Pompeio ab eius obtrectatoribus obiectum ſit, quod faſcias geſtaret, & quidem cretatas, quorum alterum laſciui hominis indicium, nempe faſcia, alterum tyrannidem affectantis, faſcia ſcilicet cretata, quod diadema, non aliud quam faſcia candida.

Quod autem ob faſciam cruralem, parum vir Pompeius crederetur, declarant verſus notiſſimi in eum vulgati.

Faſciola qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit, quid credis hunc ſibi velle? Virum.

Quod illi etiam à conuiciatore Clodio publice obiectum. Cicero ad Atticum Lib. III. *Epicratem* (ita Pompeium appellat) *ſuſpicor, ut ſcribis, laſcivum fuiſſe: etenim mihi caliga eius, & faſcia cretata non placebant.* Val. Maximus Lib. VI. *Pompeio candida faſcia crus alligatum habente, Fauonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema.* Pompeius tamen hoc ita excuſabat, quaſi obtegendi ulceris cauſa crus obuelaret, ut tradit Am. Marcellinus Lib. XVII. Quæ manifeſto declarant, Romanos nudis cruribus inceſſiſſe: nam ſi tibialia habuiſſent, ſub illis faſcia illa inuidioſa latuiſſet. Etiam ætate Martialis: nam Lib. V. 62. deſcribens quendam męchum criſpulum, inter cetera ait, *Crura gerit nullo, qui violata pilo.* Niſi enim nuda fuiſſent, hoc conſpici non potuiſſet; ſicut alibi. Idem.

Digitized by Google

Quod tibi crura rigent ſetis. Et Iuvenalis. *Crura denſo pilo fruticantia.*

Alii exiſtimant, ſubligacula apud veteres noſtris braccis reſpondere: cum tamen certum ſit, ſubligacula, & campeſtria non aliud fuiſſe, quam pannum, quo pudenda velabant ephebi, cum nudi in campo Martio exercerentur, unde, *campeſtria* dicta ſunt: item Luperci, athletæ, & alii qui corpora renudabant. Sed turpiſſime labuntur, qui caligas veterum Romanorum, volunt eſſe noſtra fęmoralia, quia *Calze*, & *Calzoni* appellantur. Et tamen nemo ignorat, caligam Romanorum fuiſſe calceamentum militare. Porro poſtquam Romani uſum braccarum, partim à Gallis, partim à Germanis, & Gothis, aliiſque populis ſeptentrioni ſubiectis acceperunt, noua notione fęmoralia, & tibialia, non pro faſciis, ſed pro braccis dicta ſunt. Itaût utraque in uſu eſſent. Ita Lampridius tradit, Alexandrum Seuerum, *faſcijs uſum eſſe, braccas habuiſſe*: & alibi: *braccas albas geſtaſſe, cum coccineas Imperatores geſtare ſolerent.*

Sed duo huic ſententiæ refragari videntur. Si Romani nudis cruribus, & fęmoribus incedebant, quomodo frigus hieme tolerabant? Deinde ſi braccis carebant, in quem locum pecuniam, & alia uſui neceſſaria recondebant? Quod ad primum attinet, fęmora tunicis duabus, & quandoque pluribus, ut de Auguſto teſtatur Suetonius, operiebantur, quæ tunicæ ferme uſque ad medium crus pertinebant: calcei autem, qui inſtar cothurnorum, alterum dimidium tegebant. Præterea Romæ hiemes mitiſſimæ, & ideo etiam brachia à cubito ad manum nuda erant, & intecto capite incedebant. Nummos autem, in ſinu, & in zona ferebant. Ouidius Amorum 1. El. 10. ait, Amorem nudum eſſe, & ut ſit apertus, nullas veſtes habere. *Quid puerum Veneris pretio proſtare iubetis? Quo pretium condat, non habet ille ſinum*. Et Plutarchus tradit antiquiſſimos Romanorum, ſine tunica in Comitiis prenſare ſolitos, ne nummos ad emenda ſuffragia ſinu geſtarent.

Alii crumenas, & ſacculos zona ſuſpenſos habebant, quas crumenas etiam fundas appellarunt, quod inſtar fundæ reticulatæ eſſent, ut Salmaſius docuit. Quo pertinet factum Auguſti à Macrobio traditum. Lib. 11. Saturn. *Quidam Græcus ſolebat Auguſto deſcendenti à Palatio, aliquod epigramma in eius laudem porrigere. Id cum fruſtra ſæpe feciſſet, rurſuſque eum idem facturum, vidiſſet*

Digitized by Google

Auguſtus, ſua manu in charta exarauit Græcum epigramma: pergenti deinde ad ſe obuiam, dedit. Ille legendo laudare, mirari tam voce, quam vultu, cumque acceſſiſſet ad Sellam, demiſſa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos Principi daret, adiecto, Per tuam Fortunam, Auguſte, ſi plus haberem, plus dediſſem.

Huiuſmodi fundam, Ventrale ab Vlpiano appellari docti iam monuerunt in L. D. Adrianus, de bonis damnatorum. Vbi explicatur quid ſit pannicularia: *ea ſcilicet, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit: ſpolia quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur. Non enim bona damnatorum, pannicularia ſignificari quis probe dixerit: nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis vindicare debebit: ſed veſtem, quæ is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus ſui cauſa in promptu habuerit.* Et licet Accurſius, & Ramirez in Pentach. exiſtiment, zonam balteum pretioſum, & gemmatum eſſe, nonniſi de zona vulgari intelligendum eſt, in quam nummi condebantur. Vult enim Iuriſconſultus illos tantum nummos deberi carnifici, qui in ventrali, victus cauſa, non qui intra zonam. Ita enim verba Baſilicorum de bonis damnatorum interpretatur Cuiacius. *Pannicularia eſſe veſtem, cum qua comprehenditur reus, & nummulos, quos victus cauſa refert: non etiam zonam, vel pretioſos annulos, vel magnam quantitatem.*

Nam aureos zona geſtari ſolitos notum eſt. Suetonius tradit Vitellium ſe zona aureorum plena circumdediſſe. Et Apuleius L. VII. *Plotina pretioſiſſimis monilium, & auro monetali zonis refertis incincta.* Ita C. Gracchus aiebat apud A. Gellium. *Quirites cum Roma profectus ſum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* Sic apud Horatium inducitur miles Lucullianus, qui factus diues, & bene nummatus, recuſans ire ad caſtellum oppugnandum, reſpondit Imperatori,

Ibit ad omne
Periculum ruſticanus miles, & inops,
Et qui zonam perdidit.

Demum Iuuenalis de naufrago natante. *Obrutus & zonam læua, morſuque tenebit.* Ex quo Chriſtus D. ne diſcipuli nummos in zona ferrent, interdixit.

Quid

Quid unguentum piſticum in Euangelio. Maldonati opinio expenſa. Plinius correctus. Cap. III.

PLinius Lib. XIII. 3. de unguentis hæc habet. *Hæc eſt materia luxus, e cunctis maxime ſuperuacua. Margaritæ enim gemmæque ad heredem tranſeunt: veſtes prorogant tempus: unguenta illico expirant, & ſuis horis moriuntur.* Sed enim, omnia ſuis horis moriuntur, etiam inanima, quæ pereunt: & quæ ſunt iſtæ horæ? legendum omnino, *ſuis heris moriuntur,* ideſt non mutant dominum, neque ad heredem tranſeunt, ut margaritæ, & gemmæ: neque prorogant tempus, ut veſtes, ſed illico expirant, cum in uſu luxuriæ ſunt, nam aliqua duraſſe etiam quadriennio Plinius tradit. Sed affuſa corpori illico pereunt, & dominis ſuis moriuntur. Et ideo Iuriſconſultus de donat. inter virum, & uxor, *unguenta rem mortuam vocat*, ut Cuiacius Lib. IX. Obſeru. cap. 30.

Porro rem hanc breuis æui, & momentaneam, Perſarum inuentum fuiſſe tradit idem eiuſdem libri capite primo. *Perſarum,* inquit, *eſſe debet gentis unguentum. Nam & illi madent eo, & accerſita commendatione, ingluuie contractum virus extinguunt.* Salmaſius ad Solinum pro *ingluuie* legit, *inluuie*, quod ſordidi eſſent, nec contractum exercitationibus ſudorem, balneis diſcuterent. Sed recta Plinij lectio eſt. Quod enim Perſæ auidiùs ſe cibo ingurgitarent, quos tota die comedere ſolitos tradit Xenophon Pediæ Lib. VIII. ex ea ingluuie, & voracitate, eueniebat, ut eorum corpora fœterent, unde ad depellendum virus, unguento ſe perfundebant. Quamobrem de Parthis, quæ eadem ferme gens, tradit Plinius L. XI. 53. *Quia illis anima fœteret ex vino, & indiſcretis cibis, ſolitos illi morbo mederi grano Aſſyrij mali, cuius eſt præcipua ſuauitas, in eſculenta addito.* Quod & Virgilius tradidit. *Animas, & olentia Medi Ora fouent illo.* Scilicet ad abolendum graue virus olentis animæ, granum mali Aſſyrii ore geſtabant, & cibis addere ſolebant.

Mutatos tamen decurſu temporis Perſarum mores credibile eſt, & pro ingluuie, & voracitate, inſignem ſobrietatem inuectam. Cuius rei argumentum illud eſt, quod tradit Am. Marcellinus Lib. XIX. in obſidione Amydæ diebus triginta, Perſarum millia LXXIII. cecidiſſe, *quorum numerus à Tribuno quodam initus eſt, cum etiam*

plurimi ex Chriſtianis interfecti eſſent, hac diſcretione facilius, quod Chriſtianorum cadauera mox cæſorum fatiſcerent, & defluerent, adeo ut nullius mortui facies, poſt quatriduum agnoſceretur, interfectorum vero Perſarum corpora inareſcerent, in modum ſtipitum, ut nec liquentibus membris, nec ſanie perfuſa madeſcerent, quod vita parcior, inquit *facit, & ubi naſcuntur, exuſta caloribus terra*. Xephonon quoque alibi in Perſis ſobrietatem & victus frugalitatem commendat, quod de diuerſis temporibus intelligendum.

Ceterum quodnam eſſet unguentum piſticum apud Ioannem in Euangelio Capite XII. à viris doctiſſimis quæſitum eſt. *Et iterum accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes eius, & exterſit capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore unguenti*. Marcus XIV. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi ſpicati*, in Græco eſt, ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. *Vnguenti nardi, piſtici, pretioſi*. Quod vetus Interpres, magis ſententiam, quam verbum ſecutus, pro *piſtico ſpicatum* reddidit, quod nardus ſpicata pretioſa. Mathæus tantum *pretioſum* eſſe indicauit. Vnde Iudæ querela, *potuiſſe unguentum venundari pluſquam CCC denarijs*, ideſt pluſquam triginta coronatis, ſiue Philippicis.

Communis opinio eſt, *piſticam* nardum Græcè, eſſe fidelem, ſinceram, probatam, non adulterinam. Πίστις enim eſt fides. Ita Euthymius, & Theophilactus. Quæ ſententia Maldonato viro eruditione præſtanti, improbatur. Quia non πιστικὴ, ſed πιστὴ Nardus appellanda eſſet, ut fidelis, & proba ſignificaretur. Deinde quia hæc vox πιστὴ, eo ſenſu fuiſſet nimis inſolens, & inuſitata, nec coim enim de rebus inanimis dici, quod ſint fideles. Præterea non nardus, ſed potius unguentum piſticum appellatum fuiſſet. *Non enim nardus*, inquit, *ſed unguentum myropolarum artificio, & auaritia corrumpi, & adulterari poterat*. Poſtremo, ſi idem eſſet unguentum piſticum, quod ſincerum, & optimum, idem etiam eſſet quod pretioſum, at Euangeliſtas diſtinguere, quaſi aliud piſticum, aliud pretioſum.

Alii ſuſpicati ſunt, pro *piſtica* legendum *ſpicata*, inter quos Vrſinus in appendice de Triclinio, quia Plinius, & alii ſcribunt, ex nardo duplex fieri unguentum ſolere, alterum ex foliis, quod *foliatum*, alterum ex ſpicis, quas in ſumma parte frequentes habere dicitur. Sed quia nefas ſacrorum Oraculorum verba inuertere, aut apicem

loco

loco mouere, eo deuenit Maldonatus, ut credat, *piſticum*, eſſe unguentum, quod potaretur. Hanc autem eſſe ſententiam ſcriptoris non nominandi: ſiue ille Beza, fuerit, ſiue Eraſmus. Duo enim olim, ut tradunt Plinius, & Athenæus unguentorum genera fuerunt: alterum denſum, & ſolidius, qualia nunc vulneribus illinuntur, alterum liquidum, & quaſi potabile, propterea fundi in caput, & pedes potuiſſe, dictumque ἀπὸ τοῦ πίνειν, quod eſt bibere.

Et unguenta quidem vino immixta fuiſſe conſtat. Martial. Lib. XIV. 110.

Hac licet in gemma, qua ſeruat nomina Coſmi,
Luxurioſe bibas, ſi foliata ſitis.

Plinius. *At hercule iam etiam in potu addunt, tantique amaritudo eſt, ut odore prodigo, fruantur ex utraque parte corporis*, ideſt, intus & foris. Lemma autem diſtichi eſt, *Ampulla potoria*, nam iiſdem vaſibus, quibus unguentum ſeruabatur, bibebant. Erant autem alabaſtra, pyxides, onyches, qualis iſta ampulla, & ideo gemma poetæ dicitur. *Si ergo*, inquit, *ſitis foliata*, ideſt ſi cupis bibere unguentum nardinum foliatum, *potes hac gemma, quæ à Coſmo celebri myropola nomen accepit, luxurioſe bibere*: luxus enim erit, & in vaſe, & in ipſo unguento, quod potabis. Iuvenalis,

Cum perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,

Cum bibitur concha, ideſt vaſe unguentario. Et alibi, *mœchis foliata parantur*.

Quod igitur unguenta biberentur, unguentum *piſticum* dictum exiſtimant, quaſi potabile, quod facile in caput, & pedes affundi potuerit. Prior tamen interpretatio verior videtur, ut vox πιστικὴ, veram, & germanam nardum ſignificet, hoc eſt fidelem, ſinceram, puram, minime adulteratum. Nam recte Eucherius in Gloſſis interpretatur, *Nardum piſticam, chryſma ſine impoſtura*. Neque ea vox inſolens, & inuſitata: nam & πιστικὸν dixere pro πιστοῦ, ut πιστικὴ γυνὴ apud Artemidorum, & πιστικῶς, pro fideliter. Falſum etiam, de inanimis fidele non dici, nam & *mare infidum*, & *fida voluptas*. Nec tam unguentum, fidele dicebatur, quam ipſa nardus, quæ nempe vera, nec adulterina. Talis autem Indica, ex qua unguentum maximi pretii. Hæc autem opponebatur pſeudonardo, herbæ ubique naſcenti, quam *magioranam* eſſe credunt, qua Indica adulterari ſolebat. Quod autem ideo potabile creditur fuiſſe unguentum,

Digitized by Google

Quia facilius fundi in caput, & pedes poterat, liquidius quidem altero unguento, quod membris affundebatur fuiſſe veriſimile eſt; quanquam ipſo vino, cui inditum liqueſcere potuit: ita tamen, ut alterum non ita denſum, & ſpiſſum eſſet, ut fundi pariter non potuerit. Cum utrumque ex eadem materia, neque Plinius aliquod diſcrimen in utroque conficiendo poſuerit, ſed potabile liquidius ſcilicet addito vino, quo diluebatur: ut tam hoc quam illud commode membris affundi potuerit. *At*, inquit Maldonatus, *ſi idem eſſet unguentum piſticum, quod ſincerum, & optimum, idem eſſet etiam, quod pretioſum: at Euangeliſtæ diſtinguunt, quaſi aliud piſticum, aliud pretioſum*. Sed hoc ab illis additum eſt, ad augendam Magdalenæ liberalitatis gloriam, ſicut etiam, venire potuiſſe denariis trecentis. Non enim omnes vulgo piſtici pretium ſciebant. Idem argumentum contra unguentum potabile valeret. Illud enim etiam ex nardo, ut Marcus appellat, & quidem ſpicata, quæ pretioſior, ſicut unguentum potabile, apud Martialem ex foliis, ſiue foliatum, quod pariter pretioſum poeta indicat, licet ſpicati maior indicatura. Demum Scaliger ad Varronem de L. L. *nardum piſticam*, interpretatur expreſſam, & contuſam in liquorem, à pinſendo, quod veteres piſere dixere, πτίσσειν, ſed præterquamquod omnium unguentorum materia contundebatur, ſiue pinſebatur, ut illud Horatii, *preſſa tuis balanus capillis*: haud ſcio an piſticum, pro contuſo, & ſubacto Latine dici poſſit, licet piſtor, & piſtrinum à pinſendo dicatur.

Sed quoniam in hoc argumento verſamur, etiam Suetonii locus de unguento in controuerſia eſt, apud ſummos viros. De Cæſare enim loquens. *Nam circa victum*, inquit, *adeo indifferentem C. Oppius tradit, ut quondam ab hoſpite, conditum oleum pro viridi appoſitum, aſpernantibus ceteris, ſolum etiam largius dicat appetiſſe, ne hoſpitem, aut negligentiæ, aut ruſticitatis arguiſſe videretur*. Quod de unguento aliqui interpretati ſunt, inter quos Caſaubonus, qui oleum *condîtum*, non, *conditum* legendum putat. Nam Plutarchus rem eandem narrans, ait, cum Cæſar cænaret apud Valerium Leonem Mediolanenſem, appoſitos aſparagos, in quorum paratu μύρον ἀντ' ἐλαίου infuſum ſit, *unguentum pro oleo*. Rectius Salmaſius ad Epictetum, non eſſe credibile ait, tam negligentem, & ruſticum, illum hoſpitem fuiſſe, ut unguentum, id eſt oleum odoribus conditum, præbuerit,

buerit, quod aſparagis affunderetur. Creditque Plutarchum falli; & Suetonium, *conditum*, non *conditum*, intellexiſſe: *conditum* autem, ideſt oleum vetus. Quod ſcilicet oleum vetuſtate minus fiat idoneum cibis, quia ingratum palato. Plinius enim *Vetuſtas oleo tædium affert, non item ut vino*. Ergo *conditum* oleum pro vetuſto, quod ad cibos ineptum; non ut recens, ac viride gratum. In quo arguendus ruſticitatis hoſpes ille, qui Cæſari vetus appoſuit, pro viridi, ac recenti. Sententiam Salmaſii, illud egregie confirmat, quod ſi Suetonius de unguento intellexiſſet, utique *viridi*, non appoſuiſſet, ſatis enim fuerat, ſi diceret, unguentum pro oleo. Ergo condito ideſt oleo veteri, oppoſuit viride. Præterea, ſi unguentum appoſitum eſſet, quale bibebatur, illud non modo aſpernati non eſſent, ſed ultro cum Cæſare, auidius appetiſſent.

Qui locus Chriſti Domini in extremæ cœnæ diſcubitu fuerit. Sirmondi ſententia expenſa. Cap. IV.

CHriſtum D. more illius ſeculi, cum diſcipulis diſcubuiſſe, ideſt in lecto iacentem cœnaſſe P. Ciacconius vir exquiſitæ eruditionis, docuit, & eum ſecutus Baronius, atque alii plures. Illud controuerſum eſt, quo ille loco inter duodecim accubuerit, & quam lecti partem occupauerit. Nam cum apud Romanos, & ceteras ferme gentes, ſummi lecti, quique ad caput menſæ erat, medius honoratior eſſet, ſi ibi Dominus diſcubuiſſet, fieri non potuiſſe videtur, ut Magdalena accedens, unguentum ſuper caput eius funderet, & ideo Ciacconius exiſtimat eum in ſummo loco medii lecti iacuiſſe, & infra D. Ioannem, ut prope eſſet D. Petrus, itaut in illo medio tres tantum diſcubuerint, reliqui Apoſtoli, duobus lectis quini. Cur autem Dominus in ſummo medii, hanc rationem affert, quod is locus eſſet Regis ſacrorum, apud Romanos, in conuiuio. Haud tamen veriſimile eſt, cum ſummi lecti locus medius honeſtiſſimus eſſet, reſpectu regis ſacrorum, à Domino locum illum occupatum fuiſſe: cum is fortaſſe mos à Iudæis ignoraretur. Itaque etiam ſi medius diſcubuerit, & ſupra eum Petrus, aut alius, non ita difficile fuiſſe credimus Magdalenæ, in ſpatio, quod inter duorum lectorum angulos, patebat accedere, & trans ſummo loco diſcumbentis, dorſum, porrectum alabaſtrum ad caput Domini, in medio

iacen-

Digitized by Google

iacentis extendere, & vnguento perfundere.

Sed quoniam ſucceſſu temporis, tota ratio tricliniorum immutata eſt, & ſublatis tribus lectis, in eorum locum accubita, ſiue ſtibadia, & ſigmata inducta ſunt, vt Ciacconius & ex eo Salmaſius, docuerunt, quæ nihil aliud fuere, quam lectus vnus continuatus ſemicirculari figura, rotundam menſam amplectens, Iacobus Sirmondus ad Sidonium, expeditiorem rationem ſoluendæ quæſtionis excogitauit. Scilicet Chriſtum D. cum diſcipulis in ſtibadio iacuiſſe, eiuſque digniorem locum fuiſſe dextrum cornu, oſtendit, ſecundum autem in ſiniſtro cornu, & inde reuertendo ad dextrum. Atque ita Dominum digniore loco, hoc eſt ad dextrum cornu accubuiſſe, Ioannem autem prope eum, quod ob ætatem vltimus eſſet: Petrum autem in cornu ſiniſtro, & inde ceteros Apoſtolos, vſque ad Ioannem, recurrendo ad dextrum. Quod ſi verum eſſet, facilius Magdalenæ fuiſſet, ad dextrum cornu accedenti, vnguentum effundere.

Sed illud omnino repugnat, quod ætate Chriſti D. nondum in vſum accubita, & ſtibadia venerant. Seruius ad I. Æneidos. *Antiqui ſtibadia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis, epulabantur.* Interpres Vetus Iuvenalis. *Apud veteres Accubitorum uſus non erat, ſed in lectulis diſcumbentes, manducabant.* D. Chriſoſthomus Homil. XXVII. in primam ad Corinth. ἐπὶ στιβάδος, more ſeculi ſui locutus eſt: ſicut & Tertullianus, ſi tamen *lectulum*, pro *ſtibadio* poſuit, de Corona: nam de tricliniari intelligere potuit: ſicut & Muſiuum illud Capuanum ad morem eius æui effictum credere par eſt. Præterea, ſtibadia, & accubita humiliora fuere, & humi propiora. Appianus in bellis Hiſpanienſibus, narrat, Scipionem, cum diſciplinam caſtrorum formaret, interdixiſſe lectos, & ipſum in *ſtibadio* primum cubuiſſe: ἐπὶ στιβάδων ἀνεπαύετο. Non male Interpres *in thoris*. Nam licet thorus, de lecto dicatur, proprie tamen ſignificat ſtratum ex herbis, & vt Grammatici aiunt, fęno torto, ac re ſimili, qualis militum lectus ſtramentitius. Si ergo tale ſtibadium Domini, humile, & depreſſum, non potuiſſet Magdalena, ſtans retro, ſecus pedes Domini, pio illo miniſterio defungi. Huc accedit, quod ſi Chriſtus D. in dextro cornu iacuiſſet, is certe diſcumbentis ſitus eſſe debuit, vt corpore ad menſam, & cornu conuerſo iacuerit, atque ita pone eum Ioannes, qui propterea in ſinu iacuiſſe dici non poterat. Secus in lecto tricliniari, in quo infra iacebat, id eſt in eius ſinu.

Cete-

Ceterum recte ſtatuit Ciacconius, Chriſtum D. more Romanorum, & diſcubuiſſe, & reliqua conuiuiorum ſolemnia, uſurpaſſe. Nam cum Romani præmitterent balneas cœnæ, Dominum diſcipulorum pedes lauiſſe. Romani unguenta adhibebant: Seruator noſter, Simoni obiecit, quod aquam pedibus non dediſſet, neque unxiſſet oleo caput, & à Magdalena unguento perfuſus. Romani veſtem mutabant: id diſcipuli feciſſe videntur, nam adoleſcens ille amictus erat *ſindone ſuper nudo*, & *relicta ſindone, profugit nudus*. Sindon enim fuit Syntheſis, ſiue veſtis cœnatoria, de qua olim diſputauimus. Quiſnam autem ille fuerit, quæſitum eſt apud veteres Patres. Alii enim Iacobum Iuſtum fuiſſe fratrem Domini exiſtimarunt: Quod ſcilicet de genere Sacerdotali veſtibus lineis uteretur. Quæ ratio nulla eſt: nam ut ſacerdotes uterentur linteis veſtibus, nequaquam ſuper nudo, ſed ſuper alias communes veſtes laneas, amictus linei fuerunt. Magna pars fuiſſe D. Ioannem. Sed Maldonatus non credit, ſola ſindone tectum fuiſſe, multo minus relicta ſindone fugiſſe. Proinde in eorum ſententiam inclinat, fuiſſe aliquem ex ea domo, ubi Chriſtus ea nocte cœnauerat, Chriſti ſtudioſum.

Quicunque ille fuerit dupliciter fallitur vir ille doctiſſimus. Primo cum credit, illum adoleſcentem, audito tumultu, cum iam in lecto cubiculari eſſet, exiliiſſe, & arrepta ſindone, qua ſe tegeret, procuriſſe in publicum, ne veſtiendo ſeſe moram faceret. Non enim in lecto cubiculari, ſed tricliniari adoleſcens ille fuerat, ut veriſimile Ioannes, in quo depoſitis veſtimentis, ſolas cœnatorias ſumebant, quæ ferme ex lino, & ideo ſindon dicitur. Secundo fallitur, cum credit, ſindonem non fuiſſe linteum ſimplex, ſed formam veſtis habuiſſe; imò fuiſſe genus veſtis lineæ, calidæq; (credo intellexiſſe veſtis genus, aduerſus frigus confectæ) quia in Græco ſit, περιβεβλημένος, quod non aliud ſignificat, quam veſtis iniectu inuolutum; Imò hoc ſignificat fuiſſe linteum, inſtar pallii corpori circumiectum, quod ferme de veſte exteriori, ſiue amictu, non de tunica accipitur. Ad quod confirmandum affert locum Martialis, qui contra maniſeſtè declarat, ſindonem ineptam fuiſſe arcendo frigori.

Ridebis ventos, hoc munere tectus, & imbres,
Non ſic in Tyria Sindone tutus eris.

Quare plane abſonum, fuiſſe veſtem ſimilem pelliceæ: cum veſtis linea fuerit, nec alia notione ſindon à Græcis, & Latinis accipiatur.

Ceterum quod ad ſitum diſcumbentium attinet, Ciacconius de Triclinio, & Vrſinus in Appendice, exiſtimant, cœnæ initio pronos in ventrem iacuiſſe, puluinis pectori appoſitis, iuxta illud Plautinum in Milite. *Sed percellunt ſe, & procumbunt dimidiatim, dum appetunt*. Exſaturatos vero, & cibo plenos, in cubitum ſeſe repoſuiſſe, iuxta Horatij verſum, *Languidus in cubitum iam ſe conuiua reponet*. Sed ut aliquando, etiam proni in ventrem diſcubuerint, quod vetera marmora demonſtrant, certum tamen eſt, communem, & frequentiorem diſcumbendi modum fuiſſe, ut cubito ſiniſtro inniterentur. Nam quod *percellerent ſe, & procumberent dimidiatim*, id vero Plautus reprehendit, cum tantum voraciores, & gumiæ id facerent. Porro Horatius contrarium aſſerit, ſaturos, & diſtentos, ſupinos, non cubitu innixos diſcubuiſſe. Nam Lib. II. Sat. 4. Inſuber ille philoſophus popinæ magiſter & iuris utriuſque doctor, piſcium condituram tradens, non ſatis eſſe ait, piſces è macello magna impenſa coemere, niſi quis ſciat, quibus piſcibus, quod ius conueniat, & qui piſces aſſi, qui elixi, ſint palato gratiores: nec ignoret, qui piſces aſſati, conuiuis futuri ſint iucundiores, ut eorum nidore excitati, alioquin cibo, vinoque ſaturati, & nauſeabundi, & proinde ſupini iacentes, iterum ſe ad comedendum componant, & rurſus cubito innitantur.

Nec ſatis eſt, cara piſces auertere menſa,
Ignarum, quibus eſt ius aptius, & quibus aſſis,
Languidus in cubitum, ſeſe conuiua reponet.

Nam fuiſſe communem diſcumbentium ſitum, inniti cubito confirmat idem poeta L. I. Ode. 27. *& cubito remanete preſſo*. Vidit veram ſententiam poetæ Lambinus, ſed in eo fallitur, quod altero cubito innixos, utramque manum ad epularum, & poculorum uſum adhibuiſſe tradit. Quomodo enim quis cubito innixus, utramque manum expedire poteſt? In eo quoque peccat, cum inter tres lectos diſcubitorios; ait, rotundam menſam poſitam fuiſſe. Nunquam enim lectis tricliniaribus rotunda menſa interiecta, ſed quadrata oblonga, tantum ſtibadio, ſiue ſigmati appoſita, quod ſemicirculari figura ac duplici cornu, rotundam menſam, amplectebatur.

Cantare

Digitized by Google

Cantare ad manum. Liuius explicatus. Cap. V.

LIuius Libri VII. initio, cum ludorum ſcenicorum originem tradit. *Ceterum,* inquit, *parua quoque (ut ferme principia omnia), & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos, ſaltantes, haud indecoros motus, more Thuſco dabant.* Et paulo poſt. *Liuius, poſt aliquot annos, qui ab Satyris, auſus eſt primus, argumento fabulam ſerere, idem, ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cum ſæpius reuocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum, ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe, aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat: inde ad manum, cantari hiſtrionibus cœptum, diuerbiaque tantum, ipſorum voci relicta.*

Notat hic Liuius, Liuium Andronicum, qui primus fabulam dedit, cum ut omnes tunc hiſtriones, & caneret ipſe, & ea quæ caneret, geſtibus motuque corporis, & ſaltatione exprimeret, ac repræſentaret: cumque ſæpe à populo reuocatus, ideſt iuſſus idem canticum, atq; eandem ſaltationem peragere, & ex nimia defatigatione, crebro anhelitu, vocem deteriorem feciſſet, petita venia, ut commodius deſaltaret, deſiiſſe ipſum canere, ſed vice ſua ſtatuiſſe in proximo puerum, qui caneret, idque canticum ipſe, geſtu ac ſaltatione referret. Vnde inſtitutum fuiſſe, ut non canerent ultra hiſtriones, ſed taciti ſaltationem peragerent, alio prope accinente.

Hoc idem pene iiſdem verbis tradit Val. Maximus Lib. II. 4. *Iſque ſui operis actor,* (ideſt fabulam ſuam, & canens, & deſaltans), *cum ſæpe à populo reuocatus, vocem obtudiſſet, adhibito pueri, ac tibicinis concentu geſticulationem tacitus peregit.* Nihil ergo cauſæ fuit, cur Liuii verba Salmaſius ad Vopiſcum, ſollicitaret, tanquam male ſana, & corrupta, & pro, *cantari ad manum, ſaltari ad manum*, reponeret. Saltare autem ad manum, eſſe, ſaltare manibus, & geſticulari, ſiue χειρονομεῖν. Quod ſi admittamus, etiam ſaltare ad pedes, erit ſaltare pedibus, & ad caput, ſaltare capite: non minus enim in ſaltatione pantominica caput, quam manus, ac pedes, & totum corpus mouebatur. Cur autem ad manum, & non ad manus? cum utraque, geſticulatio peragеretur? Quodque mirum eſt, id loquen-

Digitized by Google

di genus, vulgare, ac protritum eſſe contendit, cum tamen nuſquam, quod ſciam, apud idoneos ſcriptores reperiatur. Aliud autem eſt, dicere ad tibiam, eſt enim dicere, vel cantare, ad tibicinis modos, quod initio pantomimi faciebant, cum carminum ſuorum cantores, atque actores iidem erant. Nam ſi canere ad tibiam, eſt canere tibia, hiſtriones, qui ante Liuium, adſtante tibicine, canebant, ipſos etiam tibia cecinisse, dicendum eſſet: cum *ad tibicinis modos, ſaltantes, motus darent*, ut ait Liuius.

Ita quod Lampridius in Heliogabalo ait. *Ipſe cantauit, ſaltauit, ad tibias dixit, tuba cecinit, ad tibias dixit*, interpretatur, *tibia cecinit*, cum nihil aliud ſit, quam tibicine inflante tibias, dicere, ſiue canere. Apuleius. *Paniſcus ad fiſtulam diceret*, ideſt ad fiſtulæ modos, cantaret. Idem paulo ante. *Apollo cantauit ad citharam*, ideſt ad citharæ ſonitum. Nam in Muſicis inſtrumentis, quæ manu, vel plectro pulſantur, poteſt quis canere una, & eodem inſtrumento perſonare: ſed in tibia, & fiſtula, quæ ore animantur fieri non poteſt, & ideo ad tibiam, & fiſtulam dicere, eſt alio tibias, vel fiſtulas inflante, cantare.

Sed eſto, ad manum ſaltare, ſit ſaltare manu, vel manibus, quid ſequitur? Ab Liuio poeta inſtitutum, ut hiſtrionibus ad manum ſaltaretur, quod idem eſt, auctore Salmaſio, ut hiſtriones manibus ſaltarent, igitur ante eum id hiſtriones non faciebant: quod falſum eſſe Liuius aperte demonſtrat. Ait enim hiſtriones, ipſo ludorum ſcenicorum initio, impletas modis Satyras, deſcripto ad tibicinem cantu, motu congruenti, peregiſſe, ideſt geſtu, & ſaltatione. Mox ſubiicit, Liuium Andronicum, carminum ſuorum, ut & ceteri erant, actorem fuiſſe, ſaltu ſcilicet, & geſticulatione expreſſiſſe. Quid ergo noui attulit poeta Liuius, ſi & ante ad manum ſaltabatur?

Nulla igitur correctione opus eſt. Poſt Liuium poetam primo cęptum eſt, non ſaltari, ſed cantari ad manum hiſtrionibus, ideſt cum ante ſaltarent, & cantarent ipſi, quia motus corporis, in ſaltando vocem obturbabat, ſiue obtundebat, ſeparari artificium cępit, ut hiſtrio ſaltaret tantum, eſſetq; ipſi ad manum, qui caneret, ſiue tibicini concineret. Nam *cantare ad manum*, eſt prope, & in vicino. Hinc, *arma habere ad manum*, Quintilianus dixit L. XII. 5. *& ſupplementum Romanis ad manum domi eſſe*, Liuius, & alia omnibus obuia.

Etiam Turnebus olim cantare ad manum, *in promptu*, interpretatus

tatus eſt, ſiue in præſentia, & coram. Hoc improbat Gronouius ad Liuium, eſſe enim ait, geſticulationi eius, quæ ſaltando fiebat, & loquaci manu, cantando reſpondere, & pronuntiare modulate, quæ hiſtrio agat. Atqui contra eſt, non enim cantor geſticulationi reſpondebat; ſed hiſtrio, quæ canebantur, ſaltu & geſtu exprimebat; quod verba Suetonii ab eo adducta declarant, de Caligula. c. 54. *Canendi, & ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quominus, & tragœdo pronuncianti concineret, & geſtum hiſtrionis, quaſi laudans, vel corrigens palam effingeret.* Canebat cum Tragœdo, & hiſtrionis, ea quæ canebantur deſaltantis, geſtum effingebat. Et apud eundem Suetonium in Nerone 24. Hypocrita fuerit hiſtrio, non tamen ſequitur, Tragœdum, ſiue cantorem, reſpondiſſe cantando geſticulationi, cum contra hiſtrio canticum geſticulatione exprimeret. Neque tamen ita certum eſt, tunc ibi Neronem cantaſſe, certabat enim. *Cum elapſum baculum cito reſumpſiſſet, pauidus, & metuens, ne ob delictum certamine ſubmoueretur.* Quod ſi cantu certabat, quid opus fuit cum baculo procedere? Fortaſſe quia Rapſodi baculum in canendo geſtabant. Potuit ergo hypocrita unus eſſe inter ſcenæ operas, qui & ipſi perſonati, ut olim Beroaldus ſuſpicatus eſt: Sabellicus, unum ex aſſiſtentibus cantanti, ſi modo ille canebat. Nam Neronem pantomimo muta perſona adſtitiſſe, dignitas eius credi vetat. Sed præſtat integrum Suetonii locum adſcribere, ſi quo pacto eius ſententia intelligi poſſit. Cap. 23. *Certamina deinceps obijt omnia.* Poſt pauca. *Quam autem trepide, anxieque certauerit, quanta aduerſariorum æmulatione, quo metu iudicum, vix credi poteſt.* Infra. *In certando verò, ita legi obediebat, ut nunquam excreare auſus, ſudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in quodam tragico actu, cum elapſum baculum, cito reſumpſiſſet, pauidus, & metuens, ne ob delictum certamine ſubmoueretur, non aliter confirmatus eſt, quam adiurante hypocrita, non animaduerſum id, inter exſultationes, ſuccla-mationeſque populi.* Quod ſi Neronem, ſicut canendo in ſcena Imperii Maieſtatem conſtuprauit, ita etiam, eò impudentiæ, & vęſaniæ progreſſum eſſe ſcriptores proderent, ut etiam hiſtrionem egerit, omnia recte conuenirent. Nam Suetonius, *actum Tragicum*, appellat, & ipſi hiſtriones actores: Nero ſceptrum haberet, ſicut de baculo Caſaubonus intellexit, Regiam perſonam ſuſtinens, & *hy-*

pocrita,

pocrita, vel ipſi ſaltanti circumſtantium unus, vel etiam ipſe cantor in proximo. Nam Appianus Alexandrinus, in Parthicis in illo actu Tragico, quo Craſſi interfecti caput ludibrio habitum, ut infra de pantomimis dicemus, cantorem illum Iaſonem Trallianum, Tragædiarum hypocritam appellat; τραγῳδιῶν ὑποκριτὴς Ἰάσων, cecinit ex Euripidis Bacchis carmen de Agave, Penthei caputque geſtante. Atque ita Nero aduerſus alios pantomimos certauerit de victoria. Nam pantomimos de palma contendiſſe, docuit Ioſ. Scaliger ad Manilium, & quidem ex antiquis Inſcriptionibus, ut ille Apolauſtus apud Grut. 331. *Maximus Pantomimorum, coronatus aduerſus hiſtriones, & omnes ſcenicos artifices*. Vnde Paridem hiſtrionem, quaſi grauem aduerſarium interfecit. Sed Suetonius tantum cap. 42. tradit eum *frequenti cœna, iocularia in defectionis duces carmina geſticulatum eſſe*. Et cap. 54. *Sub exitu vitæ palam vouerat, proditurum ſe, parta victoria ludis etiam hidraulam, & choraulam, ac nouiſſimo die hiſtrionem, ſaltaturumque Virgilij Turnum*. Quod indicat antea non ſaltaſſe. Sit ergo penes eruditos iudicium. Quod autem tragedi cantum ſaltator exprimeret, indicant illa apud Macrobium de pantomimo exprimente verba illa Tragædi Τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα; qui longum expreſſit, quem magiſter coarguens, cogitabundum. Cantare igitur ad manum, eſt in proximo, ſiue in vicino. Reliqua quæ de cantu ad tibiam idem affert optime conueniunt. Ceterum quod ait Liuius, primum Andronicum auſum eſſe ab ſatiris, argumento fabulam ſerere, eſt fabulam argumento componere, ſeu fabulam condere. Nam Quintilianus Lib. v. *Fabula ad actus ſcenarum compoſita, argumenta dicebantur*. Hinc Liuius Lib. III. *Notam Iudici fabulam petitor, quippe apud ipſum auctorem argumenti, peragit*.

Lacedæmonius Orbis. Pytiſma. Iuvenalis antiqua lectio, eiuſque veteris interpretis explicatio aſſerta. Hirſutus Capella. Cap. VI.

HAud ſcio, an alius in toto ſcriptorum genere locus extet, in quo vexando, plus ſibi Critica laſciuia indulſerit, quam hic Iuvenalis Sat. XI.

Ille fruatur
Vocibus obſcænis, omnique libidinis arte,

Qui

Qui Lacedamonium pytiſmate lubricat orbem.

Vt mira, & inaudita verborum commenta, artiſque huius ineptias reputanti mihi, rubor ſuffundatur. *Pityſma*, *Pityliſma*, *Poppyſma*, *Peiriſma*, *Pygiſma*, *Pedema*, *Peteuma*, *Proptiſma*. Quorum auctores, cum non minus ineptis interpretationibus, traducere, illiberale facinus eſt, & otio legentium abuti. Quid autem eos impulerit, ut ab veteris enarratoris explicatione diſcederent, non video: quæ ut breuis, ſimplexque ita ad poetæ ſententiam proxime accedit. *Qui Lacedamonium pytiſmate lubricat orbem. Qui expuit ſupra marmor Lacedamonium, quo ſtratum eſt pauimentum, ut laue ſit, ut ſaltantibus puellis, nihil impediat*. Hæc ille. Diuitum enim luxum poeta carpit, quorum triclinia Lacedæmonio marmore conſtrata, oris excrementis fœdabantur.

Ab hac Scholiaſtis interpretatione, non diſſentit, ut erat acri iudicio Scaliger, qui tamen non recte *Pityſma* legit, & ἀπὸ τῦ πτύζειν deducit; cum à πτυτίζειν quod eſt frequenter deſpuere, *Pytiſma* fit, ut obſeruat Salmaſius ad Spartianum: ubi omnes in hoc verſu hallucinatos contendit, etiam ipſum Scaligerum, licet veteri interpreti innitatur. Mirum enim loquendi genus eſſe, *orbem Lacedamonium*, pro *Lacedamonijs orbibus*. Sed cur mirum videri debet, dicere, Lacedæmonio orbe ſtratum pauimentum, cum recte dicamus idem latere, vel laterculo, pro lateribus, & emblemmate pro emblemmatis, ſtratum vel diſtinctum? Mirum ſane eiuſdem Salmaſii commentum, *lacedamonium orbem*, eſſe menſam ex Lacedæmonio marmore, vel abacum, ad quem veteres pytiſſare conſueuerunt, ipſumque abacum, & pauimentum, effuſionibus, ac reiectionibus lubricare, dum ſcilicet vini guſtum explorarent, ut nunc fit, illud exſpuentes, atque ita non tam pauimentum, quam abacum lubricum reddidiſſe.

Quæ quidem interpretatio, præ illa altera, magis mira eſt, & inurbana. Pocula, lagenas, vaſaque in abaco proſtantia, deſpui, & pytiſſando reiectionibus irrigari conſueuiſſe, ut inde abacus madeſceret, & lubricaretur. Vix hoc ſine nauſea quis ferat, in ipſo pauimento fieri: certe urbaniores faſtidirent: neque ſemper, cum vinum deguſtatur, illud continuo reiicitur. Quod ſi concedamus, & has cauponarum delicias admittamus, quid erat, in quod tantopere poeta inueheretur? Non quod pytiſſarent, & deguſtatum primoribus labris vinum reiicerent, hoc enim & pauperes facere poterant:

nec

nec quod in Lacedæmonium orbem, ſiue Delphicam; quam etiam ex eo marmore, vel modice diues habere poterat. Et tamen hic ſatyricus, tanquam immanem luxum hominum ditiſſimorum exaggerat, quibus omnia licita fuiſſe vult.

Irritamentum Veneris languentis, & acres
Diuitis urtica,

Mox ſubiicit.

Non capit has nugas humilis domus.

Vt uno, eoque præcipuo argumento, diuitis opes, & luxum indicet, quod pauimentum Lacedæmoniis orbibus ſtratum, ſputi reiectionibus, defœdaret: ut orbis, pro numero plurium accipiatur. Quæ vero apud veterem Interpretem ſequuntur, *Quo ſtratum eſt pauimentum, ut lene ſit, (laue) & ſaltantibus puellis nihil impediat:* quaſi ideo ſputo lubricaretur pauimentum, ut facilius, & velocius ſaltatriculæ diſcurrerent, vel ex gloſſemate irrepſit, vel ineptit ſomniens.

Venio nunc ad alium eiuſdem poetæ locum, in quo explicando non ſaniora interpretes commenti ſunt. Sat. XV.

Tu ſcabie frueris mali, quod in aggere rodit;
Qui tegitur parma, & galea, metuenſque flagelli,
Diſcit ab hirſuto iaculum torquere capella.

Nam cum ferè omnes conſentiant, de tyrone militiam auſpicante, ſub duro magiſtro, hoc intelligendum, nemo unus idem ſentit. Alii enim amentum haſtæ ex pelle caprina, alii ſagum cilicium, nonuulli bellica tormenta, quidam pharetram, pellibus contectam, vel capram pro ſcopo iaculatoris poſitam: doctiſſimi, arcum e capræ cornibus confectum, & ſi Deo placet, ſimiam capræ inequitantem, iaculari doctam. Quæ fabula non unius aſſis eſt.

Cum tamen Brittanicus veram olim ſententiam tetigerit: *hirſutum capellam* Centurionem, ſiue Campi doctorem à poeta dici: quod hi ferme hirſuti eſſent, & fruticantibus pilis obſiti. Perſius. *Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum.* Quod ex illuvie hircum olerent, & cum Quirites tonſi, ac mento deraſo incederent, illi promiſſa barba, intonſiſque capillis horrerent. Iuvenalis de eo qui Centurionatum libelllo poſcebat.

Sed caput intactum buxo, nareſque piloſas,
Annotet; & grandes miretur Lælius alas,

Digitized by Google

Has enim mundicias milites aſpernabantur, & à balneis, pecti neque, & tonſore longe erant: cum glabri, raſaque cute urbani homines eſſent.

De Centurione autem tyronem erudiente, capiendum Iuvenalem vetus Interpres innuit, cum ait. *Diſcit ab hirſuto. A ſene magiſtro*. Magiſtrum ſenem vocat, ſiue quia iuſta ætate, & ut Spartianus loquitur, *plena barba* Centuriones fierent: ſiue quod hirſuti, & impexi, altioris ætatis eſſe viderentur. Subiicit, *Capella, campidoctore* quam vocem etiam, ad Satyram VI. uſurpauit. *Monſtratos perferat ictus: à Campidoctore*. Hinc Scaliger, *Capellam*, nomen fuiſſe cuiuſdam noti per ea tempora Campidoctoris credidit: & ideo hirſutum Capellam, non hirſutam legendum. Sed etiam ſi quilibet Centurio fuerit, ſatiricè hirſutus capella dicitur. Miror autem viris doctis non veniſſe in mentem Ammiani Marcellini verba de Iuliano Cæſare, quem contumeliæ cauſa *Capellam* dictum notat. *In odium venit cum victorijs ſuis capella, non homo, ut hirſutum Iulianum carpentes*. Tales enim appellabantur, qui grandem, atque hircinam barbam paſcerent. Idem Lib. XXII. de eodem. *Ridebatur enim ut Cercops, homo breuis, humeros extentans anguſtos, & barbam præferens hircinam*. Immò ipſe Iulianus hac eadem de cauſa Perſas *capellas*, appellat Lib. XXV. *En quos Martia iſta pectora viros exiſtimant, deformes illuvie capellas, & tetras*. Si quis tamen Grammatici flagelli metuens, non ab hirſuto, ſed hirſuta capella, legendum putet, haud ſane repugnauerim.

Ceterum Lipſius de militia Romana, contra Interpretum conſenſum, non de tyrone, arma tractare diſcente, ſed de venatore, ac beſtiario intelligi vult: quod ſcilicet tunc parma geſtari à militibus deſierat: deinde, quia eum metuentem flagelli faciat, quæ pœna ſeruilis. Sed quis non videt, poetica licentia, parmam pro quolibet ſcuto, & flagellum pro vite Centurionis, qua milites plectebantur à Iuvenale poſita? Nam ut beſtiarius, aut venator fuerit, illuc redeundum, quidnam hirſuta capella fuerit? Dicet Lipſius, gladiatorem, ac beſtiarium, cum in Circo, aut Amphitheatro feras configere deberent, artis tyrocinium in capella configenda didiciſſe; Præter quam quod non capræ tantum, ſed urſi, ac leones, & id genus feræ conficiebantur: quis ita loquatur? *diſcere iaculari*, ab auibus, & feris, quas ſagittis configit, & cur venator flagellum tre-

mit? Neque audiendus Ramireſius Pentach. xxv. qui ex Lipſii ſententia, deſcribi à Iuvenale beſtiarium cenſet, additque ipſe illum didiciſſe iaculari à Græculo magiſtro, qui tunc barbati, cum Romani barbam raderent. Cui conſonum illud, quod ſupra tetigimus, de ſimia, capram inequitante, quæ parma, & galea contecta, in aggere Circi, ab agyrtis inducebatur ad captandum riſum. Cuius commenti auctores, cum ſimia paria faciunt. Nam ut hoc demus, quis, quæve hirſuta capella erit, cuius flagellum metuat & dictata accipiat, turpiſſima beſtia? Atqui hic agger, non de Circi aggere, ſiue ſpina intelligendus eſt, de quo Poeta in VI.

Plebeium in Circo poſitum eſt, & in aggere fatum,

quod vetus Interpres, *ſpinam* explicat. Sed de caſtris Prætorianis, prope Vrbis mœnia, de quibus etiam illud eiuſdem poetæ intelligendum.

Quam quæ ventoſo conducta ſub aggere texit.

Mulier paupercula, fortaſſe militis alicuius contubernalis, quæ in caſtris, vento peruijs, telam texebat. Tiberius Romæ caſtra conſtituit, quibus Prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ, continerentur. Ea inter portas Viminalem, & Tiburtinam ſita, urbiſque muris coniuncta, oſtendit Panuinius, unde *agger*, dicta ſunt. Vetus Scholiaſtes. *Iuxta aggerem primus poſuit caſtra Seianus, ideſt ſuper Diocletianas, quæ dicta ſunt caſtra Prætoria.*

Quid ſupplicium militare apud Senecam. Quid ſcrobes apud Tacitum quæſitum. Cap. VII.

TAm paganorum, quam militum ſummum ſupplicium fuiſſe decollationem, ſiue gladii pœnam conſtat. Præcipue ex Seneca de Ira Lib. 1. 6. *Damnatus extra vallum deductus eſt: & iam ceruicem porrigebat, cum ſubito apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. Tunc Centurio ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpeculatorem iubet.* Idem Seneca paulo ſupra, cum Iudicem inducit, capitalem ſententiam pronunciantem, hæc ait. *Et cum ceruicem noxio præcidi imperabo: & cum parricidam inſuam culeo: & cum mittam in ſupplicium militare.* Quid hoc poſtremum ſit, quærit ad eum locum Lipſius, eoque inclinat, ut decollationem, ſiue gladii pœnam,

nam, exiſtimet. Sed cum duobus ante verbis, præcidendam ceruicem dixiſſet, quid attinuit idem bis inculcare? Id plane ſcriptoris elegantiſſimi genio repugnat. Quare hoc, *decimationem*, deſignari facile crediderim, cum decimus quiſque ſorte ductus fuſte necabatur, quod peculiare militum ſupplicium fuit, & ita κατ' ἐξοχὴν appellatum.

Quærit idem, quid ſit apud Tacitum Lib. I. de clade Variana: *Quot patibula captiuis, quæ ſcrobes?* Aitque ſcrobis mentionem in ſuppliciis ſæpe occurrere. Siue quia ſoliti eſſent, puniendum in ſcrobe collocare, quo ſecurius ceruicem præciderent: ſiue quia depoſituri in ea ſcrobe cadauer: quia damnati non comburerentur, neque iuſta eis fierent. Idque ex Tacito Lib. XV. *Pœna Flauij, Tribuno mandatur. Is proximo in agro, ſcrobem effodi iuſſit, quam Flauius, ut humilem, & anguſtam increpans: ne hoc quidem, inquit, ex diſciplina.*

Sed quod in ſcrobe ſtatuerentur, queîs ceruix præcidenda, nullum de hoc more veſtigium, quod ſciam, apud ſcriptores extat: nec ſcio, quomodo in fouea ſecurior ictus eſſe poſſet. Quod vero, ut cadauer in ea defoderetur, quia cremari nefas, alter Taciti locus repugnare videtur, Lib. VI. *Et quia damnati, publicatis bonis ſepultura prohibebantur, eorum qui de ſe ſtatuebant* (non expectabant carnificem) *humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi.* Ex quo apparet corpora ſupplicio affecta, non fuiſſe humata: cum etiam conſtet, vel ad Gemonias tracta, vel ad puticulos abiecta. Fortaſſe igitur hoc militiæ honori datum, ut damnatorum corpora tumularentur: cum paganorum inſepulta abiicerentur, vel puticulis traderentur.

Verum in clade Variana, alia res fuit. Ibi enim Tacitus non de ſuppliciis Romani moris loquitur, ſed quæ Germani Romanis militibus irrogarunt. *Quot patibula captiuis?* Id Romæ ſupplicium modo ſeruile fuit. Quare puto, non aliud fuiſſe ſcrobis pœnam, quam cum viui defoderentur, aut iniecta crate necarentur. Illud ex Philonis loco, quem Lipſius adducit, elici poſſe videtur. *Milites uno ſpiritu perſequentes, eum comprehenderunt, & pars ſtatim foueam fodiunt, pars per vim clamantem, reluctantemque trahunt*; ideſt ut vivum obruerent.

At *cratis*, vel idem, vel non abſimile ſupplicium, etiam Romanis

notum, Liuius Lib. III. ubi narrat Poſthumium, ab exercitu lapidibus obrutum, inter cetera ait. *Poſtremo cum modum nullum ira faceret, ad vociferationem eorum, quos necari ſub crate iuſſerat, concurſu facto lapidibus obrutus.*

Porro de ſcrobis ſupplicio, fortaſſe capiendus Iuvenatis locus Sat. I.

Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media ſulcum deducit arena.

Quem recte Lipſius ex veteri Codice corrigit. *Et latus mediam ſulcus diducit arenam.* Aliter verba cum ſuperioribus non cohærent, nec quo illud *diducit*, referendum ſit, apparet. Quod ut idem cenſet, in arena cremandi, in ſcrobem demitterentur, ex Seneca de Ira Lib. III. *Circundati defixis corporibus ignes.* Quod confirmat vetus Scholiaſtes. *Adductus, cum per arenam traheretur, ſulcum corpore ſuo fecit: vel foſſam, in qua ſtipites figebantur, in quibus ardebant.* Verum hoc de tunica moleſta indutis, intelligi non poteſt, qui ſtantes, & impacto unco pendentes, fixo gutture ardebant. Vel ergo iidem ducti ut ſuſpenderentur flammandi, per arenam prius trahebantur, & corpore ſulcum faciebant: vel de aliis ſermo eſt, qui in fouea defixi cremabantur. Ioſeph Scaliger, ait, Chriſtianis ad palum deſtinatis, unco, ne motatione capitis, picem cadentem declinarent, gutturi ſuffixo, e lamina ardente, picem, aut unguen in caput liquefactum, itaut riui pinguedinis humanæ, per arenam Amphitheatri ſulcum faceret, atque ita, ut Lipſius, legit. Et latus mediam ſulcus diducit arenam. Sed ab illis, tunica moleſta indutis, etiam ſine lamina, & pice potuerunt ſtillantis pinguedinis riui defluere, graſſante peſte, corpus liquefaciente. Nam de lamina, & pice iiſdem adhibita, non memini me apud alios legiſſe. Vix tamen credi poteſt, tantum inde liquaminis effuſum, ut ſulcus arenam diduceret: etiam ſi plurimi hoc modo aſſarentur.

Scortum veſtitum. Sella meretricia. Iuvenalis explicatus. Cap. VIII.

VErba eius ſunt Satyra III.

Diuitis hic ſerui claudit latus, ingenuorum

Filius

Filius: alter enim quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Caluinæ, vel Catienæ,
Vt ſemel atque iterum ſuper illam palpitet: at tu,
Cum tibi veſtiti facies ſcorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere ſella.

Nihil heic vidiſſe Interpretes, vel mediocriter eruditus intelliget. Neque tempus teram iis redarguendis. Inter cætera propter quæ Vmbricius Roma abſcedere decreuerat, præcipuum illud fuiſſe dicit, quod nullus Romæ pauperi locus eſſet, nullum meritum, nulla laborum merces. Quod ſportula unicum paupertatis ſubſidium, ac ſolatium, à proceribus, & magiſtratibus pauperi præriperetur. Quod & prima Satyra conqueſtus fuerat.

Sed cum ſummus honos, finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat.

Heic Vmbricius indignatur, nullum pauperis meritum eſſe, ſi nocte togatus curreret, ad Aue illud matutinum, portandum, cum, *Prætor lictorem impellat, & ire Præcipitem iubeat dudum vigilantibus orbis*. Hinc fieri, ut ad captandam ſportulam ingenuus pauper, cogatur, diuites libertos ſectari, deducere, & eorum latus tegere, ſiue exterior ire.

Ad augendam autem indignationem ait, ſeruum diuitem, donare nobiliſſimis matronis, quantum in legione Tribuni merebant, ut ſemel, atque iterum, cum iis caput limaret. Sed ingenuum, propter paupertatem, cum illi viliſſimi ſcorti facies placuiſſet, cunctari, illud in fornice ſedens, attingere, quod nummis deſtitueretur. Appellat autem veſtitum ſcortum, ideſt, togatum. Nam propriè veſtis, pro toga accipitur. Meretrices autem togatas fuiſſe, quis iam ignorat? Eædem autem in ſella altiori ſedebant, ut accedentes ſcortatores, venalem mercem attentius conſiderarent, ac membra omnia curioſius perluſtrarent. Sicut ſerui etiam venales in cataſta, atque edito loco expoſiti, proſtabant.

Nam licet veſtitæ, ſiue togatæ eſſent, Cois indutæ, per togam pellucebant. Horatius. *Cois tibi pene videre eſt, Vt nudam*. Vetus Interpres ad hunc locum. *Deducere ſella. Inde ſellariæ dicuntur. Vnam meretricem à ſella ſua abducere, conductam, cunctaris: cum alij adulteri* (legendum, *adulteria*) *emant*. Quod autem meretrices ſederent, Plautus Pœnulo Act. 1. 2.

Ante

An te ibi vis inter iſtas vorſarier
Proſedas, piſtorum amicas, reliquias alicarias;
Miſeras cœno delibutas, ſeruilicolas, ſordidas,
Quæ tibi olant ſtabulum, ſtatumq; ſellam, & ſeſſibulum merum?
Quas adeo haud quiſquam tetigit, neque duxit domum.

Tale ſcortum non audebat pauper ex alta ſella deducere, quod paucis obolis careret. Hinc fortaſſe ſellarioli, & ſellularii Tiberii, & ſellaria ſedes arcanarum libidinum. Tacitus An. VI. *Tuncque primum ignota ante vocabula reperta ſunt, ſellariorum, & ſpintriarum, ex fœditate loci, & multiplici patientia.* ſellariam Torrentius recte fornicem explicat, ut Martialis. *In ſellariolis vagus popinis,* Sed quod addit, quia ibi non in lectis, ſed in ſellis accumberent, præterquam quod accumbere de lectis dicitur, inepta ratio eſt. Ineptior Feretti, quod ibi ſedendo voluptatibus daretur opera. Neque aſſentiendum Mureto qui cum cellæ ſint lupanarium, *cellarios*, legit. Sed quid Iuvenali reponet? *Et dubitas alta Chionem deducere cella.* Quæ eſt iſta alta cella, ex qua pauper dubitat, ſcortum diobolare deducere. Sella igitur recte habet, ob cauſam, quam attulimus: & ſellaria apud Suetonium puellarum, & exoletorum ingenuorum lupanar, *ſedes*, ut ipſe ait, *arcanarum libidinum;* ubi monſtroſi concubitus reperti, ideſt ſpintriarum. Aiunt eos aliter à Tacito aliter à Suetonio accipi: ille, *ex multiplici patientia*, hic *monſtroſi concubitus repertores*. Sed multiplex patientia, & monſtroſi concubitus, idem ſignificat. Non enim à ſpinturnicio, aut ſphinctere, ut Turnebus; Nimis fortaſſe Latine loquitur Suetonius, quid ſpintriæ eſſent explicans: veramque notationem attuliſſe Ioſ. Scaliger videtur, quibus immorari pudet.

Facinus maioris abollæ apud eundem.
Cap. IX.

QVid eſſet Abolla, in commentarijs de re Veſtiaria, expoſuimus, ſententiamque Salmaſii exploſimus, qui crimina maioris Abollæ, dicta putabat, de quibus cognoſceret Iudex paludatus, vel chlamydatus, quales erant Præſides, & Præfectus Vrbis. Nec aliud fuiſſe, quam pallium oſtendimus (ἀναϐολή, à circumiectu, ἀναβάλλεσθαι) ſed ſtrictiori notione, pallium philoſophorum,

phorum, Stoicorum, & Cynicorum. Vt *facinus maioris Abollæ*, ſit philoſophi Stoici, Egnatij ſcilicet, qui Soranum diſcipulum delatione perculerat. Hæc autem adiicienda putaui, quia doctiſſimus Voſſius in Etymologico, ſicut rectam Abollæ originationem, ex Scaligero attulit, ut ſit ἀναβολὴ: ita negat, eam fuiſſe philoſophorum tegmen, huncque Iuvenalis locum, ita explicat, ut poeta, καταχρηστικῶς & cum irriſione, locutus ſit. Sententiam autem eſſe: Audi quid commiſerit, non iam miles aliquis. ſed qui maioris ſit dignitatis, à quo longe aliam, quàm à milite dignitatem expectes.

Verum quomodo negare poteſt eſſe pallium philoſophicum, cùm ſupra dixerit abollam eſſe tribonium? Ita vetus interpres. *Vel per Ironiam dixit, quaſi ſanctioris philoſophi*. Et Martialis L. IV. de Cynico. *Cerea quem nudi tegit uxor Abolla grabati*. Vbi Abollam uxorem Cynici fuiſſe aiunt. Apage huiuſmodi uxorem. Feſtiue, non Cynici, ſed grabati uxorem Abollam appellat, quia loco lintei vel ſtragulæ veſtis illi erat, & ut ita dicam, cum eo dormiebat, & ideo grabati uxor. Nam Cynicos tribonio incubuiſſe, notum eſt. Ceterum Pegaſo Vrbis Præf. abollam poeta attribuit, fortaſſe, quia ille Stoicorum ſectæ addictus, ut non pauci Iuriſconſulti fuere, eorum habitu inceſſit. Vel abollam ſimpliciter pro lacerna accepit, quam depoſita toga, iturus Albam ad Domitianum, induerat.

Paulo infra. *Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negauit Translatus ſubito ad Marſos, menſamque Sabellam*. Nimis longe arceſſita ſunt, quæ de Curio Dentato, aut etiam Scipione, Interpretes afferunt. Quomodo enim Curius, domitis Samnitibus, translatus ad menſam Sabellam? legendum igitur puto, *quod turpe negabit*. Pudor erat Romæ, cœnare fictilibus, & *Samio luto menſam onerare*. Quod in Italiæ oppidis, & municipiis, minime turpe erat: ubi ex vetere frugalitate fictilium uſus. Sicut duri, & craſſi cuculli, ſiue lacernæ, loloci filo contextæ: cum rarus præterea, aut nullus togæ uſus eſſet. Ergo cum omnia pauperibus Romæ magno conſtarent, & turpe haberetur cœnare fictilibus, ſatius fuiſſe, aiebat Vmbricius, Vrbe migrare, & eo concedere, ubi hæc adhibuiſſe nullus pudor eſſet.

Licet autem ibidem herboſum Theatrum, intelligi poſſit de temporario, & ex ceſpite congeſto: nihil tamen vetat, quin accipiamus de vero Theatro, ſed propter infrequentiam ludorum, herbeſcen-

te. Ait enim *ſi quando*, ideſt raró. Quod autem, Orcheſtram, & populum ſimiles, interpretantur, æqualiter exornatum ſpatium, in quo ſaltat Pantomimus, non ut Romæ in Theatris, ubi diuerſa loca vulgo, honoratiora Equiti, & Senatui, ſcilicet confuſe omnes ſpectaſſe, fugit eos ratio. Nam ſimilis orcheſtra, & populus, eſt, quod paulo ante ait, *Æquales habitus illic*. Ideſt, habitus idem Senatorum, ſiue Decurionum, & populi. Quia omnes in tunicis, nulla toga, aut prætexta. (*Nemo togam ſumit, niſi mortuus.* Et Plinius Iunior de ruſticatione ſua; *Feriata toga, calcei nuſquam*) Solæ ibi Ædilium, ſiue II virorum tunicæ albæ, ideſt candidæ, vel recenter lotæ. *Clari velamen honoris, ſufficiunt tunicæ ſummis Ædilibus albæ.*

Verborum autem, quæ non multo poſt ſequuntur. *Nos Vrbem colimus, tenui tibicine fultam, Magna parte ſui: nam ſic labentibus obſtat Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum, Securos pendente iubet dormire, ruina*. Horum inquam, duplex ſententia eſſe videtur. Velut villicus hîc intelligatur Satyrice, Vrbis præfectus, ut de Pegaſo infra. *Attonitæ villicus, modo poſitus Vrbi, Anne aliud tunc Præfecti?* Ergo villicus, procumbentibus in ruinam ædibus, ita obſtat, ut contentus ſit, rimas, & parietum vitia obducere, cum pilis & ſubſtructionibus firmare, ac fulcire deberet. Vel ea ratione domini ædificia prolabentia reparant, qua villici ruſticas ædes inſtaurant, rimás tantum obſtruendo, ne ſumptum faciant. Atque ita ciues Romæ, pendente ruina, ſecuros ſomnos captabant. Prior tamen explicatio, rectior videtur.

Mirantur iidem Interpretes, eadem Satyra, inter Codri friuola, & paupertinam ſupellectilem, enumerari abacum ex marmore, & ſub eodem pro fulcro, Chironem excubantem. Propterea fuiſſe ex argilla, credi volunt. Verum abaci vulgo ex lapide, ſiue etiam marmore, pauperiorum quoque ſuppellex fuit. Cum diuites menſas, atque abacos ex citro, & quidem plures tunc haberent: quæ quidem, eburneis pedibus fulciebantur, adeo ut, quod ait poeta, argenteus menſarum pes, idem illis eſſet, quod indigito annulus ferreus. Horat. L. 1. 6. *Lapis albus, pocula, cum cyatho duo ſuſtinet*. Nil ergo mirum ſi Codro & abacus, & ſuſtinens abacum Centaurus, ex màrmore fuit.

Satyra quinta. Iuvenalis explicatus & correctus. Cap. X.

CONtumelioſas diuitum cęnas, qui alios ſibi, alios conuiuis cibos apponebant, deſcribens poeta, inter cetera ait, etiam diuerſum panem domino, & conuiuis appoſitum. His enim;

Solida iam mucida fruſta farina,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.

Regi autem, tenerum, & niueum, mollique ſiligine factum. Subiicit;

Dextram cohibere memento,
Salua ſit artopta reuerentia: finge te tamen
Improbulum: ſupereſt illic, qui ponere cogat;
Vix tu conſuetis, audax conuiua caniſtris,
Impleri, paniſque tui noniſſe colorem?

Ad quæ nouam, & correctionem, & explicationem nuperi attulerunt. Scilicet *artoptam*, fuiſſe ſervum ab inſpiciendo pane, Græcè dictum, ideſt diſpenſatorem, obſeruatorem, & cuſtodem panis. Quaſi non ſatis ſeruorum, in illa turba fuerit, ut nouo miniſterio opus eſſet eius, qui ſicut clientibus atrum, & ſecundarium panem, ita hero ſiligineum apponeret, & ab eo tangendo conuiuas coerceret. Non ſeruo, ſed ipſi pani reuerentia debebatur: ſiue artocopus legatur, ut Britannicus edidit, Græcè ſcilicet pro pane artificioſe elaborato: ſiue artopta, ſit panis velut aſſatus, fortaſſe eſcharitis, qui pretioſus. Sed illud quod vulgo legitur, *Vix tu conſuetis audax conuiua caniſtris, impleri?* Corrigunt *Vin' tu*. Quod aliter nulla concinna ſententia extrui poſſit. Sed etiam hoc modo, verus ſenſus elici non poteſt. Cur enim conuiua nolit impleri conſuetis caniſtris? ideſt pane communi & plebeio, hoc enim conſueta caniſtra indicant: potius diceret vin' tu domini panem audax attingere? Sed ſi *vix* retineatur, quod in vulgatis extat, neque ſic ſenſus conſtat, niſi intelligatur, vix potes, aut debes. Ergo non aliter poetæ mens intelligetur, niſi pro audax, legamus *Audeas* duarum vocalium colliſione: ut verba non ſerui, ſed ipſius poetæ ſint, Vix tu audeas pane tuo, & reliquorum conuiuarum, ſaturari, illiuſque colorem noſſe, nedum herili pani improbas manus admouere.

Saltatio Pantomimica. Mulierum Romanarum in id genus hominum inſania. Eius artificij exempla. Cap. XI.

QVoniam in Iuvenali verſamur, antequàm manum de tabula, inſignem eius locum Satyra VI. expendiſſe, non abs re futurum putamus.

Chironomon Ledam, molli ſaltante Bathyllo,
Tuccia veſicæ non imperat, Appula gannit,
Sicut in amplexu, ſubitum, ac miſerabile longum,
Attendit Thymele, Thymele tunc ruſtica diſcit.

Vbi perperam mimos, cum pantomimis confundunt. Cum hi ſolo geſtu, & ſaltatione, quæ in ſcena cantabantur muti exprimerent, & verba manibus expedirent: mimi autem pronunciarent, verbiſque & ſententiis mores hominum imitarentur, unde nomen inuenerunt.

De Pantomimis autem, qui & actores, & hiſtriones, & ludii dicebantur, origine & artificio multa egregie diſputauit Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. Multa etiam congeſſit Voſſius in librum de arte poetica: ut nihil aliud nobis relictum ſit, quam ut pauca mirabilis huius artificii exempla, ab illis prætermiſſa, in medium afferamus. Præter illa, quæ de Pylade, & Bathylo ſaltantibus, Macrobius commemorat, in Saturnalibus.

Et Apuleius quidem eleganter genus id tacitæ geſticulationis, expreſſit, ac penè oculis ſubiecit, cum Deatum libidinantium Iudicium, hac muta ſaltatione peractum, fuſe deſcribit. Libro Miles x. Nos ſumma capita delibabimus. Poſtquam igitur Paridis veſtitum, cultumque deſcripſit: prodiiſſe in ſcenam ait puerum, qui Mercurium referret. *Is ſaltatorie*, inquit, *procurrens, malumque bracteis inauratum, dextera gerens, et qui Paris videbatur, porrigit, quid mandaret Iupiter, nutu ſignificans. Inſequitur puella, vultu modeſta, in deæ Iunonis ſpeciem, quæ varios modulos, laſciua concinente tibia, procedens, quieta, & inaffectata geſticulatione, nutibus honeſtis, paſtori pollicetur, ſi ſibi præmium decoris addixiſſet, ſeſe regnum totius Aſiæ, tributuram. Minerua inquieto capite, & oculis, inſpectu minacibus, citato, & intorto crure, geſticulatione alacri, demonſtrabat Paridi, ſi ſibi forma victoriam tradidiſſet, fortem, tropæiſque bellorum*

Digitized by Google

lorum inclytum, ſuis adminiculis, futurum. Venus, circumfuſo populo latiſſimorum parvulorum, dulce ſubridens, conſtitit, amœnè, placideque commoveri, cunctantique lente veſtigio, & ſenſim annutante capite, cœpit incedere, mollique tibiarum ſono, delicatis reſpondente geſtibus, nunc mite conniventibus nunc acre comminantibus geſtire pupillis, & nonunquam ſaltare ſolis oculis. Hæc, ut primum ante Iudicis conſpectum facta eſt, niſu brachiorum, polliceri videbatur, ſi fuiſſet Deabus ceteris antelata, daturam ſe nuptam Paridi formâ præcipuam, ſuique conſimilem. Tunc animo volenti Phrygius iuvenis, malum aureum, veluti victoriæ calculum, puellæ tradit.

Nec minus inſignis eſt Appiani Alexandrini locus in Parthicis. Nam Craſſo à Parthis, cum toto exercitu interfecto, ipſius Craſſi caput, à Surena copiarum duce, ad Orodem Regem Parthorum, in Armeniam miſſum eſt. Qui cum nec linguæ Græcæ, nec literarum rudis eſſet, in conuiuio Græca acroamata introduxit. Cumque allatum eſſet caput Craſſi inter epulandum, Iaſon Trallianus Tragædus, cecinit ex Euripidis Bacchis carmen de Agaue, cum caput Penthei filii, ab ſe interfecti, furens geſtaret: atque ita correpto Craſſi capite, bacchabundus, magno ſpiritu pergebat canere verſus illos. *Ferimus ex montis ambitu, nuper cæſam venationem optimam.* Cumque redeuntibus chori vicibus, quidam ſaltaret illud *meus, meus hic honor,* proſiliit maxarthes, qui Craſſum interfecerat, & ad ſe trahebat caput, tanquam ſibi potius, quam illi debitum. Rex vero lætus, donauit eum more gentis, & Iaſoni talentum dedit. *In tale exodium expeditio Craſſi deſiit, ſicut quædam Tragœdia.* Sed Interpres, τινὶ τῶν χορευτῶν inepte vertit, *uni è choraulis*: nec ita apte, qui apud Plutarchum in vita Craſſi, quem exſcribit Appianus, *mimis*, reddidit, niſi abuſiue mimum, pro hiſtrione, & pantomimo accepit. *Choreutæ*, ſunt ſaltatores, ſiue pantomimi. Nam cum Iaſon caneret carmina Euripidis, Penthei σκευοποιήματα, ideſt inſtrumentum ſcenicum, ſiue cultum, apparatumque Penthei, à matre lacerati, hiſtrioni tradidit, ut quæ ipſe canebat, ille geſticulando, & ſaltatione redderet. Quod declarant verba ſequentia: *cum vero redeuntibus chori vicibus, quidam* ἐχόρευσεν, ſaltauit, verba illa. *Meus, meus hic honor.* Quanquam Henric. Stephanus hæc de Iaſone accipiat, & ἐφώνησε ex Euripide legat. Verum non ſaltabat Iaſon, ſed canebat, & ſaltandi officium hiſtrioni demandauerat. Cum igitur

ad ea verba; ᾀδωμένων δὲ τῶν ἐφεξῆς ἀμοιβαίων πρὸς τὸν χορὸν, *Dum ſequentes, alterni verſus ad chorum cantantur*, ut ex Plutarcho legit idem Stephanus, qui illud ἀμειβομένων, ex ἀμοιβαίων, profectum coniicit, hiſtrio ſaltu eos verſus, & geſticulatione expreſſit.

Neque prætermittere poſſum aliud huius artificij ſpecimen, apud Suetonium Nerone cap. XXXIX. *Et Datus Attellanarum hiſtrio, in Cantico quodam ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonſtrauerat, ut bibentem, natantemque faceret, exitum ſcilicet Claudij, Agrippinæque ſignificans: & in nouiſſima clauſula, Orcus vobis ducit pedes, ſenatum geſtu notaret*. Hiſtrio, ſiue pantomimus Atellanarum canticum deſaltans, ſiue geſticulatione exprimens, verba illa, *Vale pater, vale mater*, ita demonſtrauit, ut patrem bibentem, ſcilicet Claudium bibentem venenum; matrem autem Agrippinam, inſidias filii elapſam in mari, exprimeret. Et in nouiſſima clauſula. *Orcus vobis ducit pedes*, ſenatum deſignauit, cui Nero inſenſus, quod mortui per pedes efferrentur. Sed ad Iuvenalem redeamus.

Chironomon Ledam, ideſt geſticulatricem, referente, & ſaltante Bathyllo. Νόμος enim lex, ſiue norma manuum mouendarum. Sicut Satyra V. Structorem in conuiuio *Chironomonta*, dixit, volanti cultello, & diuerſo geſtu leporem, ac gallinam, ſaltando ſecantem. In quo tota artis vis ſita erat. Nam Lucianus de ſaltatione, cum dixiſſet, clariſſimam ſaltatoris, ideſt pantomimi laudem eſſe, noſſe quid deceat, ſiue decorum ſeruare, & id ipſum explicare poſſe, ſubiicit, *explicationem autem, habituum perſpicuitatem ego dico*. Græcè τὴν σαφήνειαν τῶν σχημάτων: vertendum erat, *perſpicuam figurarum expreſſionem*.

Tanta igitur inſania Romanæ matronæ, huic ſpectaculo deditæ erant, ut pantomimo, Ledam deſaltante, Tuccia urinam in poteſtate non haberet: Apula, ſicut in concubitu, ganniret. *Subitum, ac miſerabile longum*, Thymele attenderet. Quod de motibus, ac geſtibus hiſtrionum intelligendum, recte Brittanicus cenſet: ut alii ſcilicet ſubiti, & inexpectati eſſent: alii tardi, ac longi, & ideo ſuſpenſa expectatione, miſerabiles. Tunc autem ruſtica Thymele diſcebat à pantomimo, motus Venereos, & varias concubitus formas, & figuras. Feſtiui autem ſunt, qui Tucciam ex Tuſcia, Apulam ex Apulia mulieres eſſe aiunt. Hæc enim matronarum nomina, à Satyrico conficta.

Sequi-

Sequitur. *Vrbicus exodio riſum monet Atellanæ, Geſtibus Autonoes*. De Vrbicis, ſiue exodiariis, omnia nota ſunt. Sed quod aiunt, Vrbicum geſtibus ſaltaſſe fabulam Autonoes, quæ fuit ſoror Cadmi: non minus inepta ſuperioribus ſunt. Nam neque Vrbicus ſaltabat fabulas, ut hiſtrio, ſed pronunciabat, & urbanitate, ac iocis populum tenebat. Neque Autonoes Tragædia ad mouendum riſum: ſed nomen hoc matronæ, ut & Thymeles, à poeta confictum: ſenſuſque eſt, matronam illam, ita ſtudioſe geſtum pronunciantis exodiarii expreſſiſſe, ut ille non ſuo, ſed Autonoes geſtu, populum riſu quateret.

Exodia quidem Atellanarum etiam deſaltata, ſupra oſtendimus ex Suetonio, in Nerone de hiſtrione, qui illa Atellani, *Vale pater, vale mater*, ita demonſtrauerat geſticulatione, ut Claudium bibentem natantem Agrippinam exprimeret. Verum Atellanus ipſe non ſaltabat. Sed eius verba, iocoſque actor geſticulatione exprimebat. De quo illud Tertulliani de ſpectaculis cap. XVII. ubi de Theatro loquitur, intelligendum eſt. *Ita ſumma gratia eius, de ſpurcitia concinnata eſt, quam Atellanus geſticulatur* (non *geſticulator*, ut Pamelius): *quam mimus etiam, per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans*. Atellanarum actor ſpurcitiam geſticulabatur, ſiue geſtu referebat. Sequitur enim *quam denique* (ſpurcitiam) *Pantomimus, à pueritia patitur in corpore* (impudicus) *ut artifex eſſe poſſit*, (eam ſaltando docere.) Et ſpurca quidem fuiſſe Atellanica exodia, vel unus Sueton. indicabit, qui de Tiberii oris obſcœnitate loquens, ait in Atellanico exodio, illa aſſenſu maximo accepta. *Hircum vetulum Capreis naturam ligurire*. Nam ipſos Atellanos, non ſaltaſſe manifeſte declarat Liuius Lib. VII. ubi de origine ludorum ſcenicorum. *Poſtquam lege hac fabularum, ab riſu, ac ſoluto ioco res auocabatur: & ludus in artem paulatim verterat: iuventus hiſtrionibus, fabularum actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo, ridicula intexta verſibus iactitare cœpit, quæ inde exodia, poſtea appellata, conſertaque fabellis, potiſſimum Atellanis ſunt. Quod genus ludorum, ab Oſcis acceptum, tenuit iuventus: nec ab hiſtrionibus pollui, paſſa eſt. Eo inſtitutum manet, ut actores Atellanarum, nec tribu moueantur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant*. Ergo Atellani, actum fabularum hiſtrionibus reliquerunt, ideſt pantomimis. Et ridicula intexta fabulis Oſcis iactitabant, quorum actores, ſiue ſaltatores,

non

non erant infames, nec tribu mouebantur, ut pantomimi, qui & ob artem ludicram, & quod obſequio corporis infames eſſent, & tribu, & militia arcebantur. Vnde Tertullianus, ut ſupra diximus, eos *à pueritia ſpurcitiam corpore paſſos*, conqueritur. Et in Apologetico Cap. xv. *Quid quod imago Dei veſtri ignominioſiſſimum & famoſum caput veſtit? Quod corpus impurum, & ad illam artem effeminatione productum, Mineruam, vel Herculem repraſentat.* Arnob. L. IV. *Quid Pantomimi veſtri, quid hiſtriones, quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo?* Columella L. I. *Attonitique miramur geſtus effæminatorum, quod à natura ſexum viris denegatum, muliebri motu mentiantur; decipiantque oculos ſpectantium.* Vnde corpore depiles, & volſi. Plautus. *Tu iſtum gallum, ſi ſapis Glabriorem reddes mihi, quam volſus ludiu'ſt*, ideſt hiſtrio, qui & ludii dicti. Et ideo crocotam muliebrem induti ſaltabant.

Vt rem à diuerticulo repetamus, actor Atellanici, geſtibus matronæ, quæ eum effingebat, riſum mouebat populi. Sed cur poeta addit? *Hunc diligit Ælia pauper.* Quia cum Atellanus non caneret, ſicut Tragędi, & Comędi, magno ſumptu opus non erat, ad eos refibulandos. Nam de matronis diuitibus ait idem. *Soluitur his magno Comædi fibula: ſunt quæ Chryſogonum cantare vetent:* citharædum, ex concubitu raucefcentem. *Hiſpulla Tragædo gaudet.* Opulenta matronas tragędum refibulat ingenti pretio. Et infra.

Si gaudet cantu, nullius fibula durat,
Vocem vendentis Prætoribus.

Porro ridiculum eſt, quod illa, *expectas, ut Quintilianus ametur?* de Rhetorum ſummo accipiunt, cum nomen fuerit alicuius plebeii citharædi, aut Tragędi, eiuſque qui vocem Prætori, fibulam matronis vendebat. Sicut *choraules*, nobiliſſimum nomen commune viro ſanctiſſimo, & cultiſſimo, ſortitus. Quaſi decus illud, ac ſummus iuventæ Romanæ togæ moderator, viliſſimum caput eſſet, & indignum matronarum amore.

Ceterum pantomimos tacitos, ſola geſticulatione egiſſe, niſi ex tot ſupra adductis manifeſtum eſſet, plurima etiam afferri poſſent, quibus id confirmaretur Artemidorus L. II. 78. *Si quis puerum ſaltantem* (pantomimum) *in ſomnis viderit, eum, & ſurdum, & mutum futurum: quando ſolis geſtibus, cuncta repræſentantur, ſine voce, & ubi auribus opus non ſit.* Athenæus L. I. Narrat quendam ſaltatorē

nomi-

nomine Memphim, eundemque philoſophum Pythagoræum, aperte demonſtraſſe, quanta Pythagoricæ diſciplinæ vis eſſet: ut qui tacens, ſola geſticulatione, omnia manifeſtius indicaret, quam qui artem dicendi, ſe docere profitentur. Certe ſe ſtrenuum Pythagoræum præſtitit ſuperbiſſimus ille Claudii libertus Pallas, ipſius heri dominus, quem tradit Tacitus, nihil unquam domi, niſi nutu, aut manu ſignificaſſe, *ne vocem conſociaret*. Ita in Anthologia Lib. III. cap. 7. de Chryſomalo Pantomimo. *Taces Chryſomale, inſtar ferrei: non autem amplius nobis, imagines priſcorum abſoluis hominum*, νύμασιν ἀφθόγγοις, *nutibus mutis*. *Tuum vero beatiſſimum ſilentium, nunc triſte eſt, quo antea delectabamur*. Cui ſimile alibi, de Philiſtione mimo mortuo. *Sæpe quidam mortuus, nunquam vero ſic*.

Qui autem ſaltantium hiſtrionum paratus, & ſcenicum inſtrumentum eſſet, apparet eodem Lib. II. cap. 38. in ſaltatorem ineptum. *Saltans, unum negligens moleſtia nos affeciſti. Nioben enim ſaltans, ſteтiſti ut lapis: Et rurſus Capaneus ſtatim concidiſti. Sed in Canace inepte: quod enſis eſſet tibi, & vivus exiſti: hoc contra hiſtoriam:* debebas enim te vere interficere. Porro notum eſt ex Plutarcho, Ciceronem operam ſtudioſe dediſſe Roſcio Comædo, & Æſopo Tragædo, (Comædiarum, & Tragædiarum actoribus, ſiue hiſtrionibus). Eum tradit Macrobius, cum Roſcio etiam contendere ſolitum, utrum ille ſæpius eandem ſententiam variis geſtibus efficeret, an ille per eloquentiæ copiam, ſermone diuerſo pronunciaret.

Ceterum quale ſtudium, ſiue furor & inſania etiam virorum eſſet in ea ſemivirorum propudia Romæ eſſet, abunde Lipſius ad Tacitum docuit; Cum eorum veſtibula, quaſi Principum frequentarentur, eoſque domo egreſſos, non vulgus modo, ſed equites, & Senatores deducerent, eorumque latus tegerent: & ut ait Seneca pater, *priuatim Vrbe tota ſonaret pulpitum, in quo viri, ac fœminæ tripudiarent: mares inter ſe, uxoreſque contenderent, uter daret illis latus*. Et filius in epiſtolis. *Oſtendam nobiliſſimos iuvenes, mancipia pantomimorum*. Eo prouecta licentia, ut Amm. Marcellinus indignetur, cum ſub Conſtantio, philoſophi, ob metum caritatis annonæ Vrbe pellerentur, *tria millia ſaltatricum, ne interpellata quidem, totidemque remanſiſſe magiſtros*.

Illud omnem fidem ſuperat, quam lucroſa ars illa Romæ fuerit, quan-

quantaque pantomimorum pretia & cumulatæ opes, ex eo artificio fuerint. Nam Budæus de aſſe Lib. II. ex Plinio, Æſopum hiſtrionem H.S. quingenta *meritaſſe*, hoc eſt mercedis loco accepiſſe obſeruat: ea ſunt XII. milia, & D. Philippici. Quæ ſumma licet incredibilis videatur, leuis tamen cenſenda eſt, ex eo quod Cicero in Oratione pro Roſcio, poſuit, cum quippe iam factum diuitem, eum HS ſexagies conſequi poſſet, noluiſſe. Iureque infinitas pecunias Cicero appellat: ſunt enim CL philippicorum millia. Etiam Macrobius Lib. III. Saturn. tradit eundem Roſcium, mercedem diurnam, de pubico mille denarios, ſine gregalibus, ſolum accepiſſe, ideſt C Philippicos; Quam ſummam, ſi ſingulis anni diebus accepiſſet, eſſent XXXVI millia, & D. Philippici: verum Budæo aſſentimur, diebus tantum ludorum accepiſſe.

Subiicit Macrobius Æſopum, de quo ante diximus, ex arte ducenties HS. reliquiſſe filio, quæ ſunt D. philippicorum milia: vitamque inaudito luxu tranſegiſſe. De eo Plinius Lib. X. *Maxime tamen inſignis eſt, in hac memoria Clodij Æſopi Tragici hiſtrionis patina, HS. ſexcentis taxata: in qua poſuit aues, cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, nummum ſex millibus, ſingulas coemptas. Dignus prorſus filio, à quo diximus deuoratas margaritas.* Ergo hiſtrionis patina una XV millibus Philippicorum æſtimata, cum centum auiculæ ſingulæ centum L Philippicis conſtarent. Quod autem de filio ait Plinius, deuoratas ab eo margaritas fuiſſe, id Lib. IX. tradiderat, cum Cleopatræ mentionem faceret, quæ unionem, centies æſtimatum, aceto liquefactum abſorbuit; ex ſponſione, cum M. Antonio. *Non ferent*, inquit, *hanc palmam, ſpoliabunturque etiam luxuria gloria. Prior id fecerat Romæ, in unionibus magnæ taxationis, Clodius, Æſopi Tragici filius, relictus ab eo, in amplis opibus heres, (ne Triumviratu ſuo, nimis ſuperbiat Antonius, pene hiſtrioni comparatus) & quidem nulla ſponſione, ad hoc productus, quod id magis Regium erat. Sed ut experiretur in gloria palati, quid ſaperent margaritæ: atque ut mirè placuêre, ne ſolus hoc ſciret, ſingulos uniones conuiuis abſorbendos dedit.*

Quod autem ad verba illa M. Senecæ, ſupra laudati attinet. *Priuatim Vrbe tota ſonat pulpitum: in hoc viri, in hoc fœminæ tripudiant.* In eo Pantomimi ſaltabant: eiuſque crebra mentio apud Iuvenalem. Sat. III.

Ipſa

Ipſa dierum Feſtorum, herboſo colitur, ſi quando Theatro,
Maieſtas, tandemque redit ad pulpita notum exodium.

Et Sat. VII.

Haud tamen inuideas vati, quem pulpitā paſcunt:

Vbi loquitur de Statio, qui cum recitando, Vrbem lætam faceret, magnaque dulcedine captos animos afficeret, & inter plaudentes ſubſellia verſu frangeret, eſuriturus erat, niſi fabulam Agavem, Paridi tradidiſſet, quam ille in pulpito deſaltaret. Non igitur inuidendum erat pauperi poetæ, qui Tragædias pantomimis vendendo vitam tolerabat. Non, quod aiunt Interpretes, qui recitandis carminibus nutriebantur. Nihil enim ille recitatione ſterili, & infrugifera, præter gloriam, & acclamationes lucrabatur, nec in pulpitis recitationes habebantur, ſed in iis, taciti hiſtriones ſaltabant fabulas, quas à poetis mercabantur.

Et Sat. VIII.

Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone,
Quid ſatius? mortem ſic quiſquam exhorruit, ut ſit
Zelotypus Thymeles, ſtupidi collega Corinthi?

Loquitur poeta de patricijs, qui per ſcenam, & arenam fœdabantur. Perperam autem, *finge gladios*, de gladiatoribus accipiunt, ſed hæc illis reſpondent; *vendunt nullo cogente Nerone*. Ideſt ſponte, nulloque iubente, ſcenæ operam locabant. Eſt ergo poetæ ſententia, finge eos à Tyranno cogi, qui hinc gladios, ideſt ſupplicium minetur, inde pulpitum ponat, ut alterum è duobus eligat, uſque adeo, inquit, mori miſerum eſt, ut malit quis mimum agere, quam vitam, honeſto impendere? ergo pulpita, pro loco, in quo mimi, & pantomimi ludos dabant. Quid autem eſſent *Triſcurria patriciorum*, aliis diuinandum relinquimus. Nam Scaligeri in V. de emend. temp. ſententiam, probare non poſſumus, qui tranſcurria legit, & Senatores deſignari ait, qui fiebant ſcurræ, & ſic tranſibant ad ſcurram, ideſt orcheſtram. Atqui orcheſtra locus erat Senatorum, dicta quidem, quod proxima eſſet pulpito ſaltantium, ſed nemo orcheſtram, ſcurras dixerit. Multo minus veteri Scholiaſtæ aſſentiri poſſumus, quod *tres ſcurræ nobiles, fabulas agerent*: Nuperus, qui *thricaria*, legit, obſcure tricatur. Porro quid ſit illud in ſequentibus, *Credamus tunicæ*, in Analectis primi expoſuimus.

Eadem Satyra, pulpiti etiam meminit, de Nerone cantante.

Hæ ſunt generoſi Principis artes,
Gaudentis fœdo, peregrina ad pulpita, Cantu,
Proſtitui.

Cum in Græcia pulpitum citharædus conſcendit. Demum Sat. XIV.

Monſtro voluptatem egregiam, cui nulla Theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti.

Nullos ſcenicos ludos, nullos mimos, aut pantomimos. *Lauti*, autem, ob magnas impenſas, quas in iis conducendis faciebat. Sicut alibi *prædo*, ſiue *præda caballorum* eidem dicitur, ob largum Equorum curulium ſumptum, qui & ingenti pretio parabantur, & in curſu, aut interibant, aut debiles fiebant. Nam qui *Perdam*, inſolens latinis auribus verbum, inculcat, oleum, & operam perdit.

Sed ut aliquis deſultoriæ diſſertationis finis ſit, cum non unus Pantomimus ſaltaret, ſed alii Tragedias, ut Æſopus: alii Comædias, ut Roſcius: & ipſi inter ſe Pantomimi contenderent, orta ſunt ciuium certamina, & diſcors in hiſtriones fauor, cum alii Pyladi, alii Bathyllo fauerent, & eorum ſucceſſoribus: alii in Tragædum, alii in Comædum proniores eſſent. Maleque ſemper coercita eorum licentia, ea tandem contentio ad manus, & cædes prorupit. Tacitus. *Theatri licentiam, proximo anno cœptam, grauius erupiſſe, cæſis, non modo è plebe, ſed militibus, ac Centurione, dum probra in magiſtratus, & diſſenſionem vulgi prohiberet. Aucta licentia, poſtquam Auguſtus, immunes verberum hiſtriones pronunciauerat.* Eſt memoratu dignum, quod Macrobius de Pylade prodit. Is cum propter populi ſeditionem, pro contentione, inter ſe, atque Hyſam habita, concitatam Auguſti indignationem vidiſſet, dixit *Etiam ingratus es Imperator: ſine eos circa nos feriari.* Videlicet ad ſecuritatem Imperii conducebat, ut populus diffideret, nec de libertate cogitaret; ſed de ludiis, atque hiſtrionibus contenderet, & hiſce nugis occuparetur.

Ex quibus alter Taciti locus An. I. intelligendus: ubi de Pannonici exercitus ſeditione agit. *Erat in caſtris Percennius quidam, dux olim Theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, & miſcere cœtus, hiſtrionali ſtudio doctus.* Vbi operæ Theatrales ſunt in ſpectatoribus, qui plaudebant ipſi primi, & fautores, plauſoreſque hiſtrionibus comparabant: ut hiſtrionale ſtudium fuerit, quod Peſcenius ſolitus erat præſtare hiſtrionibus, in comparandis

dis factionibus plauſorum, quemadmodum egregie docuit primus eruditiſſimus Gronouius in nouiſſima Taciti editione. Sed de mutis ſaltatoribus, nimis fortaſſe tinniuimus.

Quid radere guttur ſit apud Iuvenalem. De barba raſura, & tonſura apud Romanos. Cap. XII.

EAdem Satyra doctiſſimus poeta hæc habet.

Nam Sergiolus iam radere guttur
Cœperat, & ſecto requiem ſpectare lacerto.

Quæ ita explicant. Sergiolus iam cœperat, utpote ſenior, plenam barbam alere, & guttur radere, inter tondendum. Quæ non ſolum falſa, ſed etiam ſecum pugnantia ſunt. Falſum, quod ſeniores barbam alerent, eam enim totam radebant. Huic contrarium, quod iidem guttur raderent. Quomodo enim idem barbam ſimul alat, & radat? & quidem, inter tondendum, quaſi tondere, & radere, eadem res ſit. Quærebat poeta, quid Hippiam Senatori nuptam impuliſſet, ut ludium, ſiue gladiatorem, in Ægyptum uſque ſequeretur: cum ille, nec iuvenis eſſet, nec formoſus.

Qua tamen exarſit forma, qua capta iuventa eſt
Hippia, propter quod ludia dici,
Suſtinuit?

Sed non fuiſſe iuvenem, ex eo arguit, quia iam guttur radere cœperat, quod ſolum viri faciebant. Nam iuvenes uſque ad virilitatem, barbam nutriebant: ſiue ut cum Pindaro loquar, *florem lanuginis, ſerpere genis patiebantur*. Hinc eſt, quod Cicero, Catilinæ ſocios, vocat commeſſatores barbatulos, id eſt ipſo adoleſcentiæ flore primo pubeſcentes. Et pro Cœlio. *Aliquis mihi ab Inferis excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur, ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, & imaginibus videmus.* Ipſe Iuvenalis, non uno in loco id comprobat.

Iam ſenior, cuius barbam tua ianua vidit.

Qui à iuventa domum tuam frequentauit.

Sub Ioue, ſed Ioue nondum Barbato

nondum pubeſcente. Alibi.

Quadam cum prima recenſetur crimina barba.

Ineunte iuventa. Et Sat. 1.

Quo tondente grauis, iuveni mihi barba ſonabat.

Quod iuvenes, cum barbula excreuiſſet, eam tonderent, non raderent. Quod alibi dixit *metere*.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.

Quo etiam trahendum illud Sat. XIII,

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicumque puer.

Si iuvenis ſeniori non aſſurrexerat, & puer iuveni, cui prima genas lanugo inumbrabat. Quare ſubiicit,

Tam venerabile erat, præcedere quattuor annis,
Primaque par adeo ſacra lanugo ſenectæ.

Eadem ratione pueri, pubeſcentium lanuginem proſequebantur, qua iuvenes, ſenectæ canos reuerebantur.

Barbulam ergo iuvenes, uſque ad virilitatem nutriebant, & cum exreuerat, tondebant. Inepte interpretantur. *Nam inceperant venerari etiam lanuginem primam habentes, ob futuram ſenectam.* Suetonius Nerone. *Cum Domitia Neronis amita, cum agrum viſitaret, & lanuginem eius tractans, per blanditias forte dixiſſet:* Simul hanc excepero mori volo: *confeſtim, ſe poſiturum, veluti irridens, reſpondit.* Hanc Neronis lanuginem nummi veteres referunt. Hinc eleganter Lucretius Lib. V.

Tum demum pueris æuo florente iuventas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas.

Quod expreſſit Virgilius Lib. VIII.

Tunc mihi prima genas veſtibat flore iuventas.

Vt ex veteri codice corrigit Giſanius: utrobique enim *iuventas*, pro molli, & tenera barba. Martialis Lib. XI. 40. ut ſe ex ephebis exceſſiſſe oſtenderet, ait.

Iam mihi nigreſcunt, tonſa ſudaria barba:

Sum factus iuvenis, & eorum more barbulam tondeo. Viri iam facti, eam ponebant, totamq; deinceps faciem raſitabant. Dio Lib. XLV. de Auguſto. *Cæſar, tum primum barbam radens, & ipſe diem eum plane feſtum habuit, & aliis publicam feſtiuitatem indixit: atque ex eo etiam ipſe genas læues habuit, ad exemplum reliquorum.* Eadem igitur ratione, Sergiolum non fuiſſe iuvenem, arguit Iuvenalis, quia guttur, & mentum raderet, quod iuvenes non faciebant.

Cete-

Ceterum Romanos, per CCCC & L. annos intonſos fuiſſe, ex Varrone tradit Plin. L. VII. *Olimque tonſores, ut ait Varro non fuiſſe, antiquorum ſtatuæ ſignificant, quod pleraque habent capillum, & barbam magnam*. Primum omnium Scipionem Africanum, radi quotidie inſtituiſſe, tradit idem: poſt D. Auguſtum, *cultris ſemper uſum eſſe*, ideſt nouacula. Id ſtatuæ & numiſmata Imperatorum, uſque ad Adrianum, manifeſte euincunt. Ita, quæ ante grauitatis, ac venerationis plurimum habere barba ſolita erat, cœpit tantum reorum eſſe, & in luctu promitti. Sic Lucanus tradit, Catonem ingruente bello ciuili, veluti publico luctu, radi deſijſſe, ſed paſſum eſſe, *mæſtam genis increſcere barbam*.

Gellius Lib. III. 4. tradit Scipionem Æmilianum, cum eſſet reus, non deſiſſe barbam radere. Cumque eo tempore, Scipio minor quadraginta annorum eſſet, hoc mirari ſe ait, quod de raſa barba ſcriptum repperiſſet: ſed poſtea comperiſſe, ceteros quoque nobiles viros, eo tempore, eiuſmodi ætate raſitauiſſe. Verum Auguſtum & Caligulam id ex libito præueniſſe conſtat: cum reliqui ea ætate id facerent, ideſt ferme poſt annum XL. plena virilitate; alioquin, neque XX, neque XXV anno, quis iure vir dici queat.

De Capillorum tonſura. præcipue in coronæ ſpeciem. Cap. XIII.

Romanos non aluiſſe Cæſariem, neque comam promiſiſſe, veteres nummi, ac ſtatuæ oſtendunt: ſed peculiari tonſuræ genere in rotundum uſos, deciſis hinc inde capillis, quos ab aure deſcendentes, nunc vulgo, nutriunt. Hoc in more apud viros. Nam pueri comati, & cirrati. Perſius.

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe?

Vbi vetus Interpres. *Cirrati*, inquit, *ideſt capillati: quoniam apud antiquos, criniti erant adoleſcentes, uſque ad certam ætatem*. Hinc crinitam turbam Martialis appellat Lib. XII. 49.

Crinitæ Line pedagoge turbæ.

Alibi. *Et padagogo non iubente laſciui*
Parere gauaeni vilico capillati.

Idem. *Frangere latus in comatis*. Licet autem pueri capillati, & cirrati in inferiori parte capitis, & ipſos circum tonſos fuiſſe, Suetonius

nius indicat Auguſto. Cap. XLV. *Cui in puerilem habitum circumtonſam matronam miniſtraſſe, compererat*. Vbi Caſaubonus notat, pueros delicatos olim ſolitos circumtonderi. Verum non delicati ſolum, ſed vulgo omnes hoc tonſuræ genere compti: quod Græcis περίτροχον, vel περιτρόχαλον dictum idem obſeruat. Addit apud veteres Francos eam tonſuram omnium fuiſſe communem. Nam præter Regem, cui ſoli, ius comam geſtandi, omnes fuiſſe ita circum tonſos, ut tradit Agathias Lib. I.

Ex quo factum eſt, ut inducta Chriſtiana religione, pueri qui ſacris initiabantur, cirros ponerent, quæ *prima tonſura* dicitur. Am. Marcellinus Lib. XXII. narrat, quendam Diodorum ab Alexandrinis interfectum eſſe, quod dum ædificandæ præeſſet Eccleſiæ, *cirros puerorum licentius detondebat*. Intonſi igitur pueri Romæ, cumque ex ephebis excellerant, cirros & comam ceterorum more tondebant: præcipue qui turpi obſequio herum demerebant, cum ille uxorem duceret, comæ ſpolio, ſponſæ ſatisfaciebat. Hinc Italis *Toſi*, & *Toſe*, pueros ac puellas dici per aphæreſim, in Originibus oſtendimus: nemo enim puellas tonſas fuiſſe dixerit. Si ergo pueri tantum capillati, & pingui coma, ſequitur viros tonſos fuiſſe. Eo etiam argumento, quod alii populi ferme comati, & promiſſo capillo. Vt Ligures Plinio, & Lucano capillati dicuntur. Celtiberi Catullo, ſic Martialis. *Hiſpanis ego contumax capillis*, ita & Comata Gallia: ſicut Homerus, Græcos ſemper καρηκομόωντας appellat.

Poſtquam exterorum exemplo, coma nutriri cœpit, Clericos, & Monachos tonderi ſolitos nemo ignorat. Procopius Hiſtoria Anecdota. *Comaque ſicut fieri conſueuit de tonſa, in albo monachorum conſcribi voluit*. Gregor. Turonenſis, de Clodouæi Regis filio Lib. XIII. 18. *Sibi propria manu capillos incidens, clericus factus eſt*. Prudentius de S. Cypriano. *Defluæ cæſaries, compeſcitur ad breues capillos*. Paulinus epiſt. VII. *Capillos ad cutem cæſos tradit*, ideſt ſtrictim attonſos. Feſtivum eſt, quod D. Auguſtinus de Opere Monachorum commemorat. Nam cum monachi grauate comam deponerent, viſi ſunt ſibi ſcitum argumentum excogitaſſe, quo hanc capillorum cædem, deprecarentur. *Iam illud*, inquit magnus pater, *dici non poteſt, quam luctuoſe ridiculum ſit, quod rurſus inuenerunt ad defenſionem crinium ſuorum. Virum, inquiunt, prohibuit habe-*

habere comam: *qui autem ſe ipſos caſtrauerunt*, *propter regnum Cælorum*, *non ſunt viri*. Sed illi melius fortaſſe à D. Ambroſio, comæ patrocinium poſtulaſſent: qui Lib. vi. examer. ait, *comam reuerendam eſſe in ſenibus*, *venerandam in ſacerdotibus*, *terribilem in bellatoribus*, & quæ ſequuntur. Ex quibus apparet, eius ætate, ſacerdotes, comam aluiſſe, niſi hoc de clericis tantum accipiatur, nequaquam de monachis.

Sed quandonam primum laudabilis mos inualuerit, ut monachi capillos in coronæ ſpeciem circumtonderent, haud mihi compertum. Sacrorum annalium conditor, quod Nazaræi, qui ceteris ſanctiores haberentur, religionis ergo in templo capita radenda offerrent, Apoſtolica traditione in Eccleſia deriuatum docet, ut qui à communi hominum vita recedentes, & ſtrictius viuendi genus conſectarentur, deberent eorum capita radi. Verum monachi, non totum caput raſitant, ſed in coronam capillos concinnant. Imo idem Baronius ait, ideo coronam capillorum relictam, ne ſecundũ Iudaicum, vel Ethnicorum morem, facere viderentur: nimirum ſuperſtitionem ſectari Iſiacorum, & aliorum, qui pilos omnes, & capillos funditus radebant. Iſidorus cenſet, coronam relictam, quod ſacerdotium, regnumque Eccleſiæ deſignat, & veterum thiara rotunda referatur. Alii ex Germano Epiſcopo Conſtantinopolitano, hanc cauſam attulerunt, quod D. Petrus ignominiæ cauſa, hoc modo ſit attonſus: Deum autem ignominiam hanc in decus vertiſſe, atque inde ſacerdotes eodem modo attonſos. Et quamuis unde id de S. Petro Germanus acceperit, non prodat, ex maiorum tamen traditione, mutuatum eum, pie credit Baronius, cum notum ſit hujuſmodi ludibrio, affici Romæ philoſophos conſueuiſſe: eandem in Petrum illatam contumeliam; Atqui Philoſophos, ignominiæ cauſa deraſos ſcimus, in coronam attonſos, non ita certum eſt. Subiicit idem, hanc tonſuram intelligi, per verba Damaſi Papæ, *ne clerici comam nutriant*, ut etiam in Concilio Carthaginenſi, ſed aliud videtur eſſe, non nutrire comam, aliud caput in orbem tondere. Addit, etiam à D. Paulo viris interdictum, comam more mulierum nutrire: non enim diſtingui potuiſſe clericos à laicis, niſi hac tonſuræ forma. Sed hæc Paulus, cum nondum clerici eſſent, aut monachi: cumque proceſſu temporis, tam clerici, quam laici comam alerent, ſanctiſſimis decretis, id inhibitum eſt. Cum præterea potuerint

cle-

clerici, ſolo vertice deraſo, reliqua capitis parte, comam promittere. Mirum ſane eſt, ab antiquis ſcriptoribus, hunc morem, nec indicatum, nec nominatum fuiſſe.

Præſtat igitur, laudabilem hunc ritum, vetuſtiſſimo tempore ſacrum venerari, quam eius originem curioſius indagare. Veriſimile eſt, initio capillos, ad tempora,& frontem circumtonſos, qualem Romanorum tonſuram ſupra diximus, quæque etiam hodie, apud quoſdam monachos, durat, & apud Arabes in uſu fuiſſe tradit Herodotus Lib. III. *Tondentur autem*, inquit, *in rotundum*, *tempora ſubradentes*. Quod quoniam Ethnicis uſitatum, vetuit Deus Leuitici IX. *Neque in rotundum attondebitis comam*, *nec radetis barbam*. Deinde, ut clarius diſcrimen eſſet inter ſacros, & prophanos, ſacræ coronæ uſum inductum. Nam breuem illum circulum, in vertice deraſo, quo nunc cleri maior pars utitur, non fuiſſe rem in Eccleſia antiquiſſimam, docuit Sirmondus ad Sidonium, ex Concilio Tolet. IX. can. 40. *Omnes clerici*, *vel lectores*, *ſicut Leuitæ*, *& ſacerdotes*, *detonſo ſuperius capite*, *inferius ſolam circuli coronam relinquant*. Quod indicat, ea tempeſtate, nullum in capitis tonſura diſcrimen, inter clericos, & monachos fuiſſe.

Ceterum, caput radere, ignominiæ, & ſeruilis notæ loco habitum: & tam ſeruorum, quam manumiſſorum, imò ſcurrarum etiã, & morionum capita deraſa fuiſſe, nemo ignorat. De libertate donatis Plaut. Amph.

Faxit ille Iuppiter,
Vt ego hodie, *raſo capite calvus capiam pileum*.

Scilicet ad tegendam raſuram, caput induebant. Hinc eſt, quòd Polybius ſcribit, Pruſiam Bithyniæ regem, tanti nominis maieſtate indignum fuiſſe, quod pileatus, raſo capite, obuiam procedere legatis Romanis ſolitus ſit: ut etiam Appianus refert, addens illum Romanis verbis, ſe eorum libertum, profeſſum fuiſſe.

Ideo autem manumiſſos, caput radere conſueuiſſe, veteres tradunt, quod ſeruitutis naufragium euaſiſſent. Iuvenalis Sat. XII.

Gaudent ibi vertice raſo,
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Nonius. *Qui liberi fiebant*, *ea cauſa calui erant*, *quod tempeſtatem ſeruitutis videbantur effugere*: *ſicut naufragio liberati ſolent*. Quo reſpexiſſe creditur D. Paulus, Actorum XVII. Vbi deiectos naufra-

gii

gii metu vectorum animos, conatur erigere. *Nullius enim veſtrum capillus, ex capite cadet.* Artemidorus L. I. 23. *Radi autem ſibi videri totum caput, exceptis Deorum Ægyptiorum ſacerdotibus, & riſus mouendi ſtudioſis, & his, quibus radi, eſt mos, bonum eſt, alijs omnibus malum. Nauigantibus autem palam naufragium portendit, & ægrotantibus, in extremum periculum collapſionem, ſed non mortem. Naufragi enim, aut ex magno morbo ſeruati homines raduntur, minime vero mortui.* Cur autem naufragi id facerent, cauſam reddit in Anthologia Lib. VI. Lucilius. *Seruatus,* inquit, *ex pelago, ſic totondi crines ex capite, aliud enim nihil habeo.* Quia naufragis nihil aliud, præter capillos ſupereſſet, quod Diis ſoſpitatoribus offerrent.

Sed ſi ſerui caput deraſi, quomodo manu emiſſi, capillis caput ſpoliabant? Atqui ſerui ferme caput ſemiraſi. Catullus de ſeruo buſtuario. *A ſemiraſo tunderetur uſtore.* Apuleius de ſeruis in piſtrino opus facientibus. *Capita ſemiraſi, pedes annulati.* Idem Artemidorus cap. 22. *Vtram autem capitis partem, nudam ſibi habere viſus ſit, ſi parum meminit, damnabitur ad opus publicum: nam & hoc, iſtic damnatis, inſigne eſt.* Quod autem Artemidorus ſupra ait, *de riſus mouendi ſtudioſis*, ſcurras, & moriones intelligit, quibus ad ludibrium capita radebantur. Iuven. Sat. V. *Pulſandum vertice raſo, Præbebis quandoque caput.* Arnobius. *Gaudent morionum raſis capitibus.* Et Lucianus Lapithis. *Moxque ingreſſus deformis quidam, deraſo capite, pauculos capillos, in vertice geſtans, eoſque in criſtæ morem erectos.*

Neque tamen apud omnes gentes, raſiſſe caput, ignominioſum fuit. Nam Ægyptios ſacerdotes Syneſius memorat, totum corpus pilis denudaſſe, ne quid ſcilicet ſordium, in peragendis ſacris excidens, diuinum cultum contaminaret. Quod ab Herodoto accepit, qui Libro III. ſcribit, eos quotidie, totius corporis partes radere, hac de cauſa conſueuiſſe. Vnde Iſidis cultores Romæ penitus deraſos fuiſſe ſcimus, quos ideo Iuvenalis, *gregem calvum*, & Martialis, *Siſtratos caluos*, appellat, ut & Apuleio, *deraſo funditus vertice, prænitentes*. Atque ita Commodum Imperatorem, cùm ſacris Iſidis operaretur, caput raſiſſe tradit Spartianus.

Alia in Iuvenale expenſa, & explicata. *Cap. XIV.*

ÆGre admodum ab eruditiſſimo poeta oculos, & calamum abſtineo. In quem olim dare plenum commentarium meditabar: ſed abſterruit frequens obſcœnitas. Non enim conſilium erat emaſculare, quod infortunium Hiſpano poetæ contigit, qui inteſtabilis factus eſt. Et, ſi laniena placuiſſet, totus fere excidendus erat. Plurima enim ut cenſet Cæſar Scaliger in eo occurrunt, non modo non explicanda, ſed ne legenda quidem honeſto viro. Pergam igitur alia quædam pertractare, quæ ſalua fronte legantur. In eadem Satyra, qua ſexus nequioris impudentia traducitur, loquens de matrona, ſe ad arenam exercente ait,

Adſpice, quo fremitu monſtratos perferat ictus,
Et quanto galea curuetur pondere, quanta
Poplitibus ſedeat, quam denſo faſcia libro.

Quibus Mirmillonum armatura deſcribitur: nam illi galeati. Alibi de Graccho. *Nec Mirmillonis in armis, Nec galea frontem abſcondit.* Vnde ſupra dixerat. *Quem præſtare poteſt mulier galeata pudorem?* Ideſt ut vetus Interpres explicat. *Si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubeſcat?* Quod autem iidem Mirmillónes inter pugnandum ſubſiderent, & poplitibus ſe exciperent. Auſonius. *Mirmillo in armis ſubſidens,* addit, *quanta poplitibus ſedeat. Quam denſo faſcia libro*, inepte interpretantur, quam denſo volumine, & complicatione, veſtes eius ſinuentur, & complicentur, quod faſcia ſuccinctæ, pugnarent. Verum ſicut Samnitibus, ut tradit Liuius, pro lorica, ſpongia erat pectori adpreſſa: ita conicio, pro eadem lorica, fuiſſe faſciam, ex pluribus tiliarum contabulationibus denſatam, veluti quandam tabellarum, inſtar codicis, compaginationem, muniendo pectori, aduerſus ictus. Vetus Interpres. *Volumen in ſpeciem libri*, ideſt longa faſcia: ubi improprie volumen appellat, quod codicem dicere debuerat, multiplici tabellarum ſerie compactum.

Cum autem tyrones ita exercerentur, ut erectum palum, veluti aduerſarium crebris ictibus tunderent, & veluti laceſſerent, idem matronas factitaſſe ſupra indignatur.

Quis

Quis neſcit, vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cauat aſſiduis ſudibus, ſcutoque laceſſit?

Et infra colligit,

Quæ ludia ſumpſerit unquam
Hos habitus, quando ad palum gemat uxor Aſyli?

Inferendis ictibus delaſſata.

Non multo poſt, *Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.* Tanto odio, aiunt maritum auerſantur, ut etiam pueros, ex illo natos, odio proſequantur. Sed de pueris meritoriis loquitur poeta, quique marito in deliciis, quos non minus, quam pellicem confictam, uxor deteſtatur. Par oſcitantia in illis verbis.

Cum perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha.

Concha explicant, amplum vas: fuiſſe autem vas vinarium, in quod è dolio hauritur vinum. At qui hoc loco concha, eſt vas unguentarium. Non ſolum, enim unguenta vino miſcebant, ſed ipſis vaſculis unguentariis potabant, ut ſupra diximus, ex Martiale. *Ampulla potoria.*

Hac licet in gemma, quæ Coſmi nomina ſeruat,
Luxurioſe bibas, ſi foliata ſitis.

Sequitur.

Cum tibia lumbos,
Incitat, & cornu pariter, vinoque feruntur.

Hæc lucem afferunt illis Satyra 11. *Nullo gemit hic tibicina cornu.* Quod ad Clodium perperam viri docti, referunt, qui veſtitu, cultuque pſaltriæ, ſiue tibicinæ, ædem Bonæ Deæ ingreſſus, cornu intulerat, nempe virum patrando ſtupro paratiſſimum. Verior interpretatio eſt, in illo turpiſſimo cœtu ſemivirorum, Bonam Deam celebrantium, fœminas omnes, tanquam prophanas, ſubmotas fuiſſe, ita ut nulla ibi tibicina cornu inflauerit, ut in veris ſacris Deæ illius fiebat, ſed omnia virorum miniſterio peracta.

Poppyſma, Falæ, & Delphinorum columnæ in Circo. Cap. XV.

F*Rontemque manumque Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.* Poppyſma, ut vetus Interpres, *oris preſſi ſonus, & labiorum, in*

ſe colliſorum, *ſtrepitus*. Reliqua corruptiſſima ſunt. *Pro mercede*, inquiunt, *oſculum, cum ſonitu roganti, vel crebram pertractationem: nam* ποππύζειν *eſſe manu pertractare*. Proprie ποππύζειν eſt, quod diximus, de labiorum colliſione, ſed quoniam cum equi feroci̇̄tes palpo demulcentur, & mitigantur, labiorum colliſione hoc fit, hinc etiam factum, ut pro manuū tractatione accipiatur. Ergo cum vates, frontis, ac manus inſpectione, non futura modo prædicebat, ſed etiam præteritos caſus narrabat, crebrum aſſenſum, & admirationem expoſcebat, quæ etiam nunc labiorum colliſione exprimitur. Nam quod de adulatione, & adoratione Turnebus affert, forte, quia fulgura poppyſmis adorari ſolita, tradit Plinius, non ſunt huius loci.

Plebeium in Circo poſitum eſt, *& in aggere fatum*. Vetus Interpres. *In circo in ſpina*, Addenda vox eſt, ſupplendo hiatui. *In aggere*, *in ſpina*. Nam ſpina agger dictus, paries medium circum, ſicut ſpina dorſum, interſecabat. Plebeium ibi fatum poſitum, quia ut idem ait, illic pauperes, ſortes accipiebant.

Quæ nudis longum oſtendit ceruicibus aurum,
Conſulit ante Falas, *delphinorumque columnas*.

Primi verſus veram interpretationem attulimus, in libris de re Veſtiaria, reiecta Salmaſij opinione, veterem lectionem ſollicitantis, & pro nudis ceruicibus, *nullis*, reponentis. Miror que eos, qui nuper, notas in Iuvenalem, hinc inde concinnarunt, antiquæ lectioni, ab omnibus conſtanter receptæ, & noſtræ interpretationi, eius cōmentum prætuliſſe.

Quod ad Falas, & delphinas attinet, idem notat, Falas fuiſſe turres rotundas, quarum faſtigium, oui referret imaginem. Nam oua Circenſia, fuiſſe machinas ex ligno, ouali figura factas, cum baſi, qua ſiſti poſſent, ac erigi: potuiſſe enim hinc inde transferri. Sed Falas fuiſſe turres veteres conſentiunt. Fuiſſe rotundas, & ouali figura faſtigiatas, ab illis non proditur. Feſtus. *Fala, dicta ab altitudine, à falando, quod apud Etruſcos ſignificat Cælum*. Seruius vero IX. Æneidos. *Falæ, turres, diuiſiones in Circo, inter Euripum, & metas*. Diuiſionem, intelligit aggerem, ſiue ſpinam Circum interſecantem, in qua illæ turres, & ita interpoſita erat, inter Euripum, ſpectacula ambientem, & metas hinc inde, ad caput aggeris poſitas. Sed quomodo turres illæ, erigi & transferri poſſent, nemo dixerit. Ipſæ ouales machinæ, non turribus, ſed columnis impoſitæ

erant,

erant, (ut in antiquis nummis manifeſtum eſt) atque inde erigi, & moueri poterant. Itaque credibile eſt, Falas nihil aliud fuiſſe, quam obeliſcos, aggeri impoſitos, ut ibidem apparet, inſtar turrium ſublimes. Cur enim oua turribus, delphines autem columnis imponebantur, cum eiuſdem rei cauſa apponerentur?

Et Panuinius quidem, atque alii, iam pridem docuerunt, tam oua, quam delphines fuiſſe machinas ligneas, ouorum, ac delphinorum figura, ad quadrigarum curticula numeranda, & diſtinguēda, ut ad ſingula ſpatia, & metæ flexus, qui ſeptem erant, ovum ligneum, quod erat exemptile, auferretur: ex quo numerus curriculorum intelligebatur. Quales figuræ, in antiquis nummis, ac monumentis, plurimæ, apud Panuinium apparent. Idque ex Liuio notum Lib. XLI. *Et carceres in Circo, & oua, ad notas curriculis numerandas*. Et Dione Caſſio de M. Agrippa. *Cum videret in Circo, homines errare circa numerum ſpatiorum decurrendorum, delphinas, & ouales fabricas conſtituit, quibus circuitus curriculorum, notaretur, & numeraretur*. Sed ante Varro de re ruſt. L. 1. indicauerat. *Non modo non ovum illud ſublatum eſt, quod ludis Circenſibus noui curriculi finem facit, quadrigis.* Ex quo apparet, ſingulis curriculis, unum ovum fuiſſe ſublatum.

Hæc de ouis in Circo recte ſe habent: ſed cur delphines etiam apponerentur, qui explicaret, nondum repperi. Cum quatuor eſſent Circi factiones, à tunicæ coloribus diſtinctæ, Veneta, Praſina, Alba, & Ruſſata: duæ tamen præcipuæ, & ſcriptoribus celebres, Veneta, & Praſina: nam altera Venetæ, altera Praſinæ adhærebat. Et Venetæ quidem pannus, ideſt tunica cęrulea, à colore maris, Praſinæ viridis, ſiue à porraceo colore, ſiue à terra viridante. Cum ergo duæ illæ factiones, in Circo de victoria bigis, & quadrigis certarent, ut intelligeretur quænam prius ſepties metam flecteret, & ſeptem illa curricula conficeret, neceſſe fuit, utriuſque factionis curricula, & ſpatia denotari, ac numerari, ut inquam intelligeretur, quot quæque ſpatia confeciſſet, ne vel errore, vel fraude plura curricula numerarentur. Non enim oua utrique factioni curriculorum numerum notare poterant: unde etiam delphines appoſiti. Cumque Venetæ factionis agitatores, eſſent rei maritimæ ſtudioſi, Praſinæ autem reliquus populus, continentis incola, ut agricolæ, mercatores, & reliqui: factum inde eſt, ut Venetæ aurigationis

nis nota, & inſigne, atque index delphin eſſet, Praſinæ autem, ideſt terreſtris ſtudii, ovum, ſiue lignea oualis machina. Quàre cum Romæ longe maior numerus eſſet populi, à re maritima alieni, Praſina factio præualebat: unde Iuvenalis Sat. xi.

Ac mihi, pace
Immenſæ, nimiæque licet, ſi dicere plebis,
Totam hodie Romam. Circus capit, & fragor aurem,
Percutit, euentum viridis, quo colligo panni:

Nempe ob victoriam Praſinorum: etiam ſi contrarium aliquandò imperitantis ſtudium eſſet. Huius rei veſtigium nunc Venetijs videmus, in abſimili certamine; nempe ſæuo pugillatu, diuiſa plebe, inter Nicolaitas, & Caſtellanos, hoc eſt inter nauticos, & continentis incolas: qui de pontis poſſeſſione, cateruatim contendunt: ſeque in ſubiectum Euripum, præcipites, ruinæ modo proturbant, & in ipſo conflictu, nuda manu, & ſine cęſtibus, ſe ita percellunt, & obtundunt, oraque ſugillant, & lacerant, ac tempora populantur, ſeque debilitant, atque exoſſant, ut pauci integros dentes, & ſanos oculos ex prælio referant: plebe his ludicris, non inutiliter, diſſentiente.

Sed ut ad oua, & delphinas, aurigantium factionum diſcrimina, redeamus, ex eo etiam factum ſuſpicor, ut in argenteis nummis Romanarum familiarum, ſub bigis, aut quadrigis, modo tridens, modo ſpica conſpiciatur, ut illo Venetorum victoria, hac Praſinorum indicaretur.

Aurea ſpira longo galero. Amicus cymbala pulſans. Iuvenalis explicatus. Cap. XVI.

ANtequam à Ivuenale diſcedamus, unum, & alterum inſignem locum ad diſquiſitionem vocare, curæ pretium fuerit, in quibus Interpretes fruſtra laborarunt. Satyra VIII.

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum ſe
Porrigat, & longo iactetur ſpira galero.

Et olim quidem eorum opinionem refutauimus, qui tunicam ſenatoriam clauis aureis diſtinctam, putarunt. Nulli enim in tunica Senatoria, claui aurei fuerunt, ſed tantum purpurei, cum ſola triũphalis aureis ornaretur. Vetus Interpres, cetera fęde corruptus,

Digitized by Google

hæc habet. *Qui munera edebant, habebant, ut extremas partes tunica ad guttur ornarent, quo famam haberent.* Atqui tunc Gracchus munerarius non erat, ſiue editor, ſed ipſe in arena retiarij ſchema, pugnabat. Inde credidi, nobiliores, & potentiores, in tunica, ad fauces, aurea ſegmenta geſtaſſe. Sed cum hoc nullius ſcriptoris auctoritate nitatur: & ſegmenta tantum mulierum fuerint, ut ipſe Iuvenalis teſtatur de eodem Graccho nupturiente.

Segmenta, & longos habitus, & flammea ſumit

Cuius ſententiæ iam pridem me pœnituit, ut in Analectis profeſſus ſum. Vbi nouam coniecturam, viris doctis approbatam, intellexi. Gracchus enim idem plane eſt, quem ſecunda Satyra, poeta exagitat, & pro molli, & parum viro traducit.

Quadringenta dedit Gracchus Seſtertia dotem,
Cornicini, ſiue hic recto cantauerat are.
Signata tabula: dictum Feliciter: ingens
Cœna: ſed, & iacuit gremio, noua nupta mariti.

Ne quid dedecoris in hac ſcena deeſſet, Gracchus ſtolam muliebrem, cum flammeo induit.

Segmenta, & longos habitus, & flammea ſumit.

Ad augendam autem rei indignitatem addit

Arcano, qui ſacra ferens nutantia loro,
Sudauit clypeis ancylibus.

Ergo Gracchus Salius erat, & Martis ſacerdos, in Veneris caſtra tranſierat. Eſſe autem eundem, qui à turpi palęſtra, in arenam retiarius deſcendit, ut fortia faceret, qui turpia paſſurus erat, idem indignatur infra.

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.

Maius enim prodigium fuiſſe putat, cum ſecutore commiſſum eſſe, quam cornicini ſuccubuiſſe. Alioquin præter rem, & argumentum, ſatyræ, qua pathicos verberat, gladiatorium dedecus, inſeruiſſet.

Non erit ergo difficile, quid aurea illa ſpira fuerit, in tunicæ faucibus: tunicæ, inquam, Saliaris. Ea quippe picta, ideſt purpura, & auro diſtincta. Liuius. *Salios item duodecim Marti Gradiuo legit, tunicaque picta inſigne dedit, ſuper tunicam aneum pectori tegmen, caleſtiaque arma.* Halicarn. Lib. 11. Eaſdem Saliorum tunicas ποικίλας appellat, *auro, & purpura variegatas.* Talis veſtis picta triumphantium, cum purpuræ aurum miſceretur. Nam toga, & tunica

picta,

picta, eſt acupicta, & opere Phrygionis confecta.

Igitur Gracchus, in ſola tunica quidem, ut omnes tunc Retiarij, qui inde ſimpliciter, *Tunicati* dicti ſunt: ſed eadem Saliari, ad cujus fauces, hoc eſt oram ſuperiorem, ſegmenta, ideſt inſtitæ aureæ, ſiue ſpira aurea, quæ etiam galero, hoc eſt pileo, & quidem longo ſacerdotali addita. Sed qualis illa, & quomodo iactaretur, nondum mihi exploratum. Brittanicus, ſpiram interpretatur funiculum aureum, qui circa galerum diſcurrens, ad ornatum porrigebatur ad fauces, ut galerus ſub mento vinciretur. Sed quomodo ſpira, quæ ex faucibus tunicæ porrigebatur, circa galerum diſcurrere poterat, & cum ſub mento vincire, & ſimul iactari? Satis in præſentia fuerit, poetæ mentem, nondum cuiquam intellectam, aperuiſſe. Vetus interpres inepte *Galero. pilo* (pileo) *quem habent retiarij. Galerus eſt humero impoſitus gladiatoris, huiuſmodi aliquid, quo citius ſparſum funem, vel iactatum retium* (rete) *colligat*. Fortaſſe, ſpiram, ita explicat, & illud verbum reponendum, *ſpira*, huiuſmodi &c. Sed meræ nugæ.

Par loci alterius obſcuritas, ſatyra IX, qua pariter molles, & virum quærentes, quoſque eadem, ac Gracchum urtica tangebat, nimis libere, perſtringit: ſimilis interpretum oſcitantia.

> *Quantum erat exhauſti lumbos donare clientis*
> *Iugeribus paucis? Meliusne hic ruſticus infans*
> *Cum matre, & caſulis, & conluſore catello*
> *Cymbala pulſantis, legatum fiet amici?*

Quod ſic explicant. *Eſtne melius, & iuſtius, ut bona tuã, agri, ruſtici pueri, cum cane & matre, amico cymbala pulſanti Gallo, & impuro donentur, & teſtamento legentur, quam mihi, qui toties tibi, operam dedi?* Sententia vera eſt. Conqueritur draucus, de auaritia heri, digito caput uno ſcalpentis: aitque non grande damnum futurum fuiſſe, ſi in præmium obſcęni laboris, ſe paucis agri iugeribus donaſſet. Eſſe enim iniquum, ut puer ruſticus, melius, & maius legatum capiat, ab viro cymbala pulſante, ideſt pathico, quam draucus ipſe, qui opus mariti fungeretur. Nam cymbala fuiſſe effęminatorum, notum eſt, ideoque Gallorum, Cybeles ſacerdotum, geſtamina, qui in fęminã fracti. Iuv. *Et reſupinati ceſſantia cymbala Galli:* quorum fœdam patientiam deſcripſit Apuleius. Hinc factum ut interpretes de Gallis matris Deûm, hoc acceperint:

Digitized by Google

& vetus interpres, *Archigallum* explicauerit.

Melius ne, ideſt lautius, legatum accipiet villici filius, quam qui, non agrum colit ſed dominum? Illud autem *cum caſulis*, fortaſſe melius, cum caculis, quæ vox apud Plautum, pro ſeruo militari: hic pro ſeruo ruſtico, ſiue vernula. Sed ſi caſulis retineatur, de mapalibus, & attegijs, intelligendum. Si cui tamen prior interpretatio magis arridet; hic erit ſenſus: quod cum ipſis prædijs, coloni, atque operarij, agro illi addicti, & obnoxii legabantur, cum matre, pueris, & ſeruis, aut caſis. Vt impudicus ex morum, & patientiæ ſimilitudine, illi potius qui turpia patiatur, quam qui faciat, nempe obſcænus, obſcæno. Vt cymbala pulſans, non ſit Gallus Cybalis, ſed quilibet ijs ſimilis. Magis tamen placet, ut de teſtatore, intelligatur, quam de legatario, ut ille, non hic ſit, cymbala pulſans, & ſexum fugitans.

Menſarum citrearum pretium. Plinij correctio expenſa. Idem explicatus, & emendatus. Cap. XVII.

IMmane, & vix credibile citrearum menſarum pretium fuiſſe, iam pridem viri doctiſſimi adnotarunt, præcipue auctoritate Plinij Lib. XIII. 15. *Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri, & menſarum inſania, quas fœmina viris, contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo æuo empta H S. X. memoratur, & Aſinij Galli H S. X I.* Sed in nota nummorum mendum deprehendit P. Ciacconius de triclinio. Nam ſi menſa Ciceronis, X HS. empta fuiſſet, ut credit Budæus, pretium eius C C L. coronati fuiſſent, Aſinij autem X I. HS. ducenti ſeptuaginta quinque coronati. Atqui Plinius ſubijcit, *interiiſſe incendio Cethegorum menſam, permutatam latifundij taxatione; ſi quis prædia mercari, tanti malit*. Si ergo menſa Ciceronis, nonniſi CCL. coronatis empta fuiſſet, hac ſumma, non ſolum latifundium, inquit ille, aut prædiolum, ſed ne ruris quidem angulum emi potuiſſe. Quare, cum Tertullianus de pallio, hoc idem, ut pleraque à Plinio mutuatus, ſcribat: *Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus, orbem citri emit: qua bis tantum Aſinius Gallus, pro menſa eiuſdem Mauritaniæ, numerat. En quantis facultatibus æſtimauere ligneas maculas!* Ciacconius in menſa

Aſinij, pro X. HS. legendum putat, *decies*, ideſt pro CCL. coronatis xxv millia.

Sed Plinius Ciceronis, non Aſinij menſam X. H S. taxatam dicit, alteram XL. ſi ergo Aſinius alterum tantum pro menſa impenderat, ſequeretur eius menſam, vicies æſtimatam, ideſt L. millibus coronatorum: quod incredibile. Quid enim de menſis Iubæ regis apud eundem Plinium, & Cethegorum dicemus, quarum alteræ xv, alteræ xiv, emptæ, & iſtæ taxatæ latiſundii pretio? Salmaſius ad Tertulliani pallium, non indicato Ciacconii nomine, tolerabiliorem ſummam affert. Ciceronis menſam D. æſtimatam, Aſinii *mille*, ſiue *decies*. Sed quod addit, mille ſeſtertia, centum millibns nummum, qui ſeſtertii vocantur reſpondere, niſi typographi ſphalma eſt, M. ſeſtertia, non centum millibus, ſed decies centum reſpondent. Turpior lapſus, cum inquit, quæ ſumma, bis mille, & quingentos aureos noſtros efficit. Hæc enim ſumma xxv millia coronatorum conficit, ſcriptorum conſenſu.

Fuiſſe quidem immenſum harum menſarum pretium, & ideo, cum mariti margaritarum ſumptum, uxoribus obiicerent, illæ contra, inſanam menſarum taxationem regerebant, fuiſſe inquam immane pretium, ex eo Ciacconius, & alij arguerunt, quod Martialis Lib. xiv in lemmate, *Menſa citrea*.

> *Accipe felicis Atlantica munera ſilua,*
> *Aurea qui dederit dona, minora dabit.*

Et Seneca de benef. Lib. II. 10. *Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatorio cenſu, eo pretioſius, quo illud, in plures nodos, arboris infelicitas, torſit.* Senatorium autem cenſum ſub Auguſto fuiſſe *duodecies*, ideſt xxx millia coronatorum, ex Suetonio notum. Petronius.

> *Ecce Afris eruta terris*
> *Citrea menſa, greges ſeruorum oſtrumq; renidens*
> *Ponitur, & maculis mutatur vilibus aurum,*
> *Quæ cenſum turbant.*

Sed menſam unam xxx, & L. millibus coronatorum æſtimatam, adhuc adduci non poſſum, ut credam. Fuerit enim minus ceterarum pretium, cum plurimæ, ut mox dicemus apud eundem herum eſſent, tanti eas æſtimatas, credat, qui volet. Illuc ergo deueniendum eſt, cum Martialis poeticè, Seneca declamatorie, rem extulerint,

Digitized by Google

rint, cui tales quingentas fuiſſe, liuidus ille Græculus, obiecit, eo inquam recurrendum, ut dicamus, quod plurimi conqueſti ſunt. Plinij libros, ſicut in pleriſque corruptos, ut adhuc multa mendarum millia ſuperſint, ita in numeris, & nummorum notis, librariorum oſcitantia, corruptiſſimos, & prope deploratos eſſe: & ideo de hac re amplius cogitandum.

Vix ergo paulo ditior, & lautior erat, qui plures menſas, & fermè citreas non haberet. Quia ſcilicet eadem cœna, plures ſubinde menſæ, & ferè ad ſingulos miſſus, apponebantur. Fallitur enim Ciacconius, qui exiſtimat, ipſas epulas, fuiſſe menſas appellatas. Quia Virgilius ait

Poſtquam prima quies epulis, menſaque remotæ.

Subijcit autem poeta.

Dixit, & in menſa, laticum libauit honorem.

Non ergo inquit Ciacconius, menſæ ipſæ remotæ fuerant, ſed epulæ illis impoſitæ. Verum ſublata menſa epularum, alia fuerat admota, in qua libatum eſt. Seruius ibi. *Quia* inquit, *apud maiores ipſas menſas apponebant, pro diſcis* (ideſt non lances in menſam, ſed menſam cum lancibus apponebant) *unde eſt, & menſa grata ſecunda. Duas enim habebant menſas, unam carnis, & alteram pomorum,* (ſiue ut alibi, poculorum). Hinc prima, & ſecunda menſa. Vt autem probet Ciacconius, epulas ipſas, menſas fuiſſe appellatas, adducit verba Pollucis. Τραπέζας δὲ ἐκάλουν, καὶ τὰ σιτία, ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. Verum τὰ σιτία, ibi non ſunt epulæ, ſed quadræ, ſiue placentæ triticeæ, quibus epulæ, & obſonia imponebantur. Nam σῖτος, proprie cibum ex frumento, ideſt panem ſignificat, licet τὰ σίτια de omnibus cibis accipiantur. Apud poetam in III. magni operis, Celeno harpyarum maxima, hæc dira Troianis vaticinatur.

Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus Vrbem,
Quam vos dira fames, noſtraque iniuria cædis,
Ambeſas ſubigat, malis abſumere menſas.

Vbi Seruius. *Ambeſas, undique eſas, ideſt rotundas. Maiores enim noſtri has menſas habebant in honore deorum* (& ideo illis parcebatur) panicias ſcilicet. Neque irrita furiæ vaticinatio fuit; Nam poſtquam Troes fugientis Italiæ litus adprenderunt, cum ſub ramis ar-

Digitized by Google

poris altæ, diſcubuiſſent.

Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subijciunt epulis (ſic Iuppiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumptis hic forte alijs, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem, penuria adegit edendi:
Et violare manu, maliſque audacibus Orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris
Heu etiam menſas conſumimus, inquit, Iulus.

Seruius. Adorea liba, *ador proprie eſt genus farris: liba autem ſunt placenta de farre, melle, & oleo ſacris apta.* Subiiciunt epulis: *ſupponunt in epularum locum.* Et Cereale ſolum. *Solum omne dicitur, quod aliquid ſuſtinet. Vnde de mari ſupra ait, Subtraliturque ſolum. Sic nunc panicias menſas, ideſt epularum ſuſtentaculum, ſolum vocauit.* Fatalis cruſti. *Ad negotium reſpexit Ænea, cui hic erat finis laborum. Cruſtum autem, & cruſta neutraliter dicimus, de his quæ comedi poſſunt.* Horatius. *Vt pueris olim dant cruſtula blandi Doctores.* Iuvenalis. *Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſeruo. Fœminino autem genere fragmenta dicimus, quæ comeſſe non poſſumus.* Vt *concreſcunt ſubita currenti in flumine cruſtæ.* Quadris. *Aut menſis: & eſt Antonomaſia: nam ſupra Orbem dixit: aut Quadris, fragmentis accipimus,* ut Iuvenalis. *Vt bona ſumma putes aliena viuere quadra.* Hæc paulo fuſius, ut intelligeremus quænam menſæ eſſent, quæ menſis imponebantur: non ipſæ epulæ, ſed placentæ triticeæ, ſiue paniceæ, quibus epulæ imponebantur, ut nunc patinis, & lancibus.

Quo loco ſtupore defixi, cæleſtis copiæ vim in ſummo poetarum veneramur, qui unam, eandemque rem, ideſt has menſas paniceas, ſiue placentas quinque, aut ſex vocibus extulit. Nempe, *adorea liba, Cereale ſolum, exiguam Cererem, orbem fatalis cruſti, & patulas quadras.* Licet autem prius orbem dixerit, & poſtea quadras, non eſt Antonomaſia, ſed ſynechdoche, pars pro toto. Nam placenta in orbem diducta, quadrifida diuiſione in quatuor partes ſecabatur, quæ inde quadræ appellatæ, non quòd quadratæ, ſed quia quarta pars orbicularis illius menſæ paniceæ. Horatius.

Et mihi diuiduo findetur munere quadra.

Et Martialis.

Secta

Secta plurima quadrade placenta.

Athenæus Lib. III. ex Philemone tradit, *Blomilios panes dici inciſuris diuiſos, quos Romani, χοδράτυς, appellent.* Verum illi non quadratos appellabant, ſed quadras, ex orbe illo ſectas.

Fruſtra autem Ciacconius ex hoc Virgilii loco arguit, menſas, alias rotundas fuiſſe alias quadratas, quod probatione non indigebat. Notum enim eſt menſas, quandiu triclinia durarunt, ideſt tres lecti diſcubitorii, fuiſſe quadratas, ſed in longum, ſcilicet ad lectorum menſuram: cum autem *ſtibadia*, ſiue *accubita*, in uſum inducta ſunt, rotundæ, ſiue Orbes inuecti ſunt, nam cum ſtibadium, lectus unus ſemirotundus eſſet, ut diximus, neceſſe erat menſam pariter eſſe rotundam, quam ſtibadiũ complectebatur, relicto loco, per quem epulæ in menſam inferrentur. Virgilius autem eo loco, non de menſis, quibus epulæ imponuntur, ſed de placentis, ſiue menſis paniceis loquitur, quas modo orbes, modo quadras appellat, propter cauſam, quam attulimus. Neque in eo audiendus eſt, quod ait menſas, aut uno pede ſuſtentatas, quæ monopodia, aut duobus, quæ bipedes, quales in marmoribus Romanis: nullas tamen huiuſmodi bipedes extare in iis monumentis, notat Vrſinus, Neque eum iuvat locus Martialis.

Ibat tripes grabbatus, & bipes menſa.

Loquitur enim ibi de vili, ac paupertina ſupoellectile, migrantis è domo, & friuola aliò transferentis, in qua ſicut erat grabatus tripes, ideſt uno pede mutilus, ſimiliter menſa bipes, tertii pedis defectu, clauda. Poſtquam igitur rotundæ menſæ in uſum venêre, ferme monopedes factæ, & quidem eburneo pede, ut notum eſt, quem argenteo pretioſiorem fuiſſe, indicat Iuvenalis, cum ait menſis citreis pedem argenteum fuiſſe, quod annulus ferreus in digito. Ex eo tempore menſæ tripodes, non ita in pretio. Vnde Horatius Lib. I. Serm.

Modo Reges, atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri.

Apud veteres igitur, una, & altera tantum menſa in uſu erat, ita ut altera poſt alteramapponeretur, unde *ſecunda menſa*, dicta eſt. Seruius ad illud.

Poſtquam prima quies epulis, menſaque remota.

Mox

Mox. *Dixit, & in menſa laticum libauit honorem.*

Quia, inquit, *apud maiores, menſas ipſas apponebant. pro diſcis: unde, & menſa grata ſecunda. Duas enim ſaltem habebant menſas, unam carnium, alteram pomorum. Pro diſcis*, ideſt pro lancibus, ſiue patinis, quod indicat ætate Seruij deſiiſſe menſas apponi, ſed diſcis, & lancibus, ut hodie fit, epulas inferri.

Creſcente luxu, etiam plures menſæ appoſitæ. Iuvenalis Sat. 1.

Nam de tot pulchris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia menſa.

Quod una cœna patrimonia abſumpta, interpretantur, vel à domino, qui ſolus cœnabat, & menſæ accumbebat. Sed *Orbes* ſunt menſæ. Sententia eſt, ne una quidem cœna, ſed uno miſſu, & ex tam multis, & pretioſis orbibus, unius appoſitu, adeſum patrimonium. Hoc eſt, ne tota quidem cœna, verum dimidia, aut cœnæ quadrante. Menſas autem, quod rotundæ tunc eſſent, Orbes appellatas, notum eſt. Idem

Latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & vaſto pardus ſublimis hiatu.

Et Lucanos, *Orbes Atlantide ſilua ſectos* appellat. Feſtivum eſt, quod de Annio prodit Martialis L. vi.

Cum menſas habeat fere ducentas,
Pro menſis habet Annius miniſtros.
Tranſcurrunt gabata, volantque lances:
Has vobis epulas habete lauti,
Nos offendimur ambulante cœna.

Porro menſas plures in uſu fuiſſe, & inter cœnandum appoſitas, & ſublatas, indicat etiam Plinius Lib. xxviii. 2. Sed loco perobſcuro, & male affecto. *Recedente aliquo ab epulis, ſimul verri ſolum, aut bibente conuiua, menſam, vel repoſitorium tolli, inauſpicatiſſimum iudicatur. Seruij Sulpitij principis viri, commentatio extat, quamobrem menſa non ſit relinquenda. Nondum enim plures, quam conuiua numerabantur.* Si menſa linquenda non erat, utique nunquam à conuiuio diſcedendum non fuiſſet. Nec ratio, quam affert, congruit, *quod nondum plures menſa, quam conuiua numerarentur*, ideſt apponerentur, & ſubinde tollerentur. Quare deeſſe verbum ſuſpicor, ac reponendum eſſe, quamobrem menſa vacua linquenda non ſit. Cum enim ætate Sulpitii nondum illa menſa-

rum

Digitized by Google

rum multitudo, in uſum veniſſet, quæ ſequenti æuo cum maior earum numerus eſſet, quam conuiuarum: neque ad ſingulos miſſus, & noua fercula, remouerentur, eueniebat, ut dum lances commutarentur, & aliis ſublatis, nouæ inferrentur, vacua interim menſa relinqueretur: quod tanquam mali ominis, vetabat fieri in illa commentatione Sulpitius. Id omen vitabatur, menſam cum ipſis lancibus auferendo, & aliam apponendo, quod ſecutis temporibus ſeruatum eſt, poſtquam menſæ plures, quam conuiuæ eſſe cœperunt. Coniecturam noſtram mirifice comprobat Plutarchus quæſtione LXIV. cum ait, tolli menſam vacuam nefas fuiſſe, ac diſputat, cur menſa cum tolleretur, ſemper omnino aliquid ſuper ea volebant relinqui? *An quod hac ambage ſignificabant, ſemper ex partis aliquid in futurum reſeruandum, & in præſenti die, ſubſecuturæ aliquam habendam rationem. Aut, quod ſcitum putabant, appetitum cohibere, eumque reprimere, dum adhuc aliquid ad fruendum in promptu eſt?*

Ad eundem morem pertinet quod ſequitur apud Plinium. *Nam ſternutamento, reuocari ferculum, menſamve, ſi non poſtea guſtetur aliquid, inter diras habetur:* hoc eſt, ablatam menſam, reponendam eſſe. Item, quod paulo ſupra poſitum eſt. *Nam ſi menſa adſit, nullum ponere* (optime Turnebus, annulum ponere) *tranſlatitium videmus: quoniam multas pollere religiones, manifeſtum eſt.* Ita in omnibus editis, & manu exaratis extat, nullo ſenſu. Quænam enim iſtæ multæ religiones. Omnino legendum eſt. *Quoniam mutas pollere religiones, manifeſtum eſt.* Nam cum antea fuſe diſputaſſet, utrum ſit aliqua vis, & obſeruatio verborum, ſiue ominum, quæ ab ore, quaſi *Oremina*, vel *Oſmina*, dicta ſunt: deinde res etiam ſine ullo verbo, religioſe obſeruari ſolitas, percenſet, quas proinde mutas religiones, ideſt omina, ſine voce ulla, ac verbis appellat. Qualia ſunt ponere annulum: ſaliua poſt aurem digito relata, ſollicitudinem animi propitiare: effuſa ſub menſam aqua, incendia inter epulas nominata, abominari: in adorando dextram ad oſculum referre: fulgetra poppyſmis adorare, recedente conuiua, ſolum verrere, & his ſimilia, mutæ ſuperſtitionis exempla. Nam vera omina, & vocalia qualia eſſent, nemo ignorat.

Digitized by Google

Quid eſſent Repoſitoria, quæque eorum materia ac forma. Plinius, & Petronius explicati. Cap. XVIII.

NOn plures modo menſas, ſed & *repoſitoria* in uſu fuiſſe certum eſt. Verum quænam & qualia fuerint, in tanta vetuſtate, haud perinde compertum. Nam fuiſſe a menſis diſtincta Plinius loco ſupra laudato. *Bibente conuiua menſam, vel repoſitorium tolli, inauſpicatiſſimum iudicatur*: & alibi non ſemel, ut ex dicendis conſtabit, & Ciacconius quidem, *repoſitoria* fuiſſe ait abacos, quibus argentum exponebatur. Sed abacos à repoſitoriis diuerſos certum eſt: ſicut quod addit, repoſitas in iis dapes, priuſquam menſis inferrentur. Vrſinus, *in quibus reponebantur, hoc eſt collocabantur menſæ, idest cibaria menſis impoſita*: ex Plinio. *Iam vero & menſas repoſitorijs imponimus*: cum exiſtimet etiam epulas, menſas appellatas: quam opinionem, ſatis ſupra refutauimus. Plinii verba ab Vrſino adducta ſunt Lib. xxxiii. 11. Quod admodum difficile explicatu eſt, cum non menſæ repoſitorijs, ſed hæc menſis imponerentur. Quare aliqui, *menſis repoſitoria imponimus*, contra veterum codicum fidem, reponunt, & quidem fruſtra. Id enim fieri cęptum, ſe prodente (ideſt æuo ſuo) ſcribit Plinius. *Iam vero*. Cum longe ante ipſum, repoſitoria in uſu fuiſſe in ſequentibus demonſtret.

Dalechamphius τραπεζοφόρας, ſiue menſarum fulcra interpretatur, in quibus menſæ reponerentur. Sed cur, & quî id fieri potuerit, non video: nemoque menſarum, aut lectorum pedes, repoſitoria unquam dixerit. Porro Plinius argenteorum vaſorum luxum perſtringens de repoſitoriis ſubiicit, *& ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera:* non ergo ad ſuſtinendas menſas, ſed obſonia.

Sanè repoſitoria dicta, quod in illis lances, & epulæ reponerentur, in menſam inferendæ. Sed utrum patinæ, & diſci cum epulis, an vero ipſæ dapes, & obſonia, ſine lancibus in illis collocarentur, & patinarum uſum præſtarent, dubitari poteſt. Sed in iis, epulas, ſine lancibus diſpoſitas indicat Plinius Lib. x. *Poſtea culinarum artes, ut clunes ſpectentur, ut diuidantur in tergora, ut a pede uno dilatata, repoſitoria occupent*. Et hic. *Ad ſuſtinenda obſonia, latera interradimus*. Sed clare Petronius in conuiuio Trimalcionis. *Repoſitorium enim rotundum, duodecim habebat ſigna, in orbem diſpoſita, ſuper-*

ſuperque proprium, conuenientemque materia, ſtructor impoſuerat ci- bum. Super arietem, cicer arietinum: & quæ ſequuntur. Poſt pau- ca. *Hæc ut dixit, ad ſymphoniam, quatuor tripudiantes procurre- runt: ſuperioremque partem repoſitorij abſtulerunt. Quo facto, vide- mus infra altilia, & ſumina, leporemque in medio pinnis ſubornatum, ut pegaſus videretur. Notauimus etiam circa angulos repoſitorij Mar- ſyas quatuor, ex quorum utriculis, garum piperatum currebat ſuper piſces, qui in euripo natabant.*

Hæc referre neceſſe fuit, ut qualia eſſent repoſitoria, intelligere- mus. Nempe in iis obſonia repoſita, ſine ullis patinis, & lancibus, ſed ipſa earum vicem fuiſſe: aut inſtar magnæ patinæ, & quidem duplicis, ſcilicet, cum fundo, ideſt inferiorę parte concaua, & ſupe- riore, ſiue operimento. Quæ egregie faciunt ad Plinii locum, nulli intellectum, explicandum. Siquidem, cum ait, *Iam vero, & men- ſas repoſitorijs imponimus*, pro menſa intelligit partem ſuperiorem, ſiue repoſitorij operculum. Cum enim ante Plinium aperta, & ſim- plicia, ſiue unius fundi repoſitoria fuiſſent, inſtar grandium patina- rum: poſtea cępere addi operimenta, & quidem argentea, atque in ijs obſonia diſponi, quæ ut aptius ſuſtinerentur, neque labi inde poſſent, interradi lima cęperunt: *nec intereſt, quam plurimum lima perdiderit*, ita enim in veteri codice habetur. Cum ergo argen- teorum vaſorum luxum Plinius caſtigaſſet, adiecit, ex eodem ar- gento, repoſitoriorum menſas, ideſt opercula fieri cępta, quæ ob- ſoniis, menſæ vicem præſtarent, nempe ſiccis, & aſſis, cum iuru- lenta in fundo natarent. Mox addit, etiam vaſa coquinaria ex ar- gento facta, Calvum oratorem, indignatum eſſe.

Menſam autem repoſitorij integumentum ideo appellat, quia Delphici tripodis, ſiue cortinæ operimenta, pariter menſæ dice- bantur, & delphicæ, quod idem erat: *quoniam donis maxime Apol- linis Delphici dicabantur*, ut ait Plinius Lib. xxxiv. 3. Pollux Lib. x. notat cuiuſcumque tripodis operculum, vocari *circulum*, & ὅλ- μον, quoniam & Delphici tripodis integumentum *Holmus*, vocatur, cui inſidet vates. Ad cuius ſimilitudinem menſas omnes, præcipue abacos, etiam Iuriſconſulti Delphicas appellarunt. Procopius Vandal. Lib. 1. *Delphicam Romani vocant: nam quo loco Imperato- res menſæ accumbunt, tripus ſtabat, cui pocula imponebantur, quod Delphis primo in uſu fuerit*. Eadem ῥαπιζοφόρος dicta: Licet ea

Digitized by Google

vox proprie, menſarum fulcra, ſiue pedes ſignificet, etiam pro Abaco ſumpta. Gloſ. Τραπεζοφόρον. *Caliclare, cui calices pincerna imponunt*. Coniunxit Paulus Lib. III. de ſuppelect. leg. *Suppellectili legata, hæc continentur, menſa, trapezophora, delphica*. Item Pollux L. x.

Tam Delphici igitur tripodis, quam repoſitorij operculum, menſa dicebatur. Vel ſimpliciter, menſam dicebant, quicquid cibis ſubiiciebatur. Ita Virgilius, ut ſupra oſtendimus, placentas paniceas, ſiue orbem fatalis cruſti, epulis ſubiectum, menſam appellauit. In eo autem repoſitorij operimento, appoſita obſonia, ex Plinio, & Petronio, monſtrauimus.

Aliquando tamen etiam patinas, & lances in repoſitorio collocatas docet Plinius Lib. XVIII. 35. ſub finem. *Nec non & in conuiuijs, menſiſque noſtris, quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitorijs linquentia, diras tempeſtates prænuntiant*. Ita in promulſidario, quod & guſtatorium dicebatur, quia nihil aliud fuit, quam guſtus, ſiue promulſidis repoſitorium; *Aſellum*, ideſt vas cum vino mulſo, lanceſque etiam, & alia vaſa, quæ & promulſides, appoſita oſtendit Petronius.

Sequitur de repoſitoriis apud Plinium Lib. XXXIII. cap. 11. *Repoſitorijs argentum addi, ſua memoria captum, Feneſtella dicit, qui obijt nouiſſimo Tiberij Cæſaris principatu: ſed & teſtudinea,* (teſtudine operta) *tum in uſum veniſſe*. Teſtudine inquam, & quidem maſculæ, ſiue marinæ putaminibus veſtiri cæpta, ut Martialis L. XIV. lemmata *Guſtatorium*.

Fæmineam nobis cherſon ſi credis ineſſe
Deciperis, pelagi maſcula præda ſumus.

Sequitur apud Plinium. *Ante ſe* (Feneſtella) *autem paulo, lignea, rotunda, ſolida, nec multo maiora, quam menſas fuiſſe*. Quod indicat poſt Feneſtellam repoſitoria, multo maiora menſis ipſis fuiſſe. Fortaſſe, cum ingentis pretij citreæ menſæ eſſent, præcipue quo latiores erant: cum tamen pluribus conuiuis, & epulis non ſufficerent, repoſitoria longe ampliora fieri capere, & epularum capaciora: quia ex minus pretioſa materia erant, quam citreæ menſæ, & ideo teſtudinis putaminibus, & citri cruſtis veſtiebantur, non ex citro ſolidæ fiebant. Tanta enim orbium citreorum amplitudo erat, quantam arboris ipſius magnitudo patiebatur, nec ad libitum la-

tiores

tiores fieri poterant, ſicut repoſitoria, quæ ex alia materia, & æuo ſequenti, ex argento conficiebantur.

Addit ex Feneſtella. *Se quidem puero quadrata, & compacta* (non ſolida) *ſiue commiſſa, præterea acere, citroque intecta.* Vnde minus pretioſa menſis, quæ ferme ex ſolida materia. Quanquam Lib. XIII. *Magnitudo,* inquit, *ampliſſima adhuc fuit, unius commiſſa, ex orbibus dimidiatis duobus, à rege Mauritaniæ Ptolomæo, quatuor pedum, & ſemipedis. Maiuſque miraculum in ea eſt artis, latente iunctura, quam potuiſſet eſſe ſolidæ,* ideſt minime compactæ. Fruſtraque Pintianus, ut ferme ſolet, ſinceram lectionem inuertit. Subiicit Feneſtella, *mox additum argentum in angulos, lineaſque per commiſſuras. In angulos,* quia tunc quadrata, *tegendis vero commiſſuris,* quia compacta, non ſolida. Poſtremo aiebat Feneſtella, *Tympana, ſe iuvene, appellata, ſtateras, & lances, quas antiqui Magidas appellauerant.* Magidem eſſe primò dictum vas, in quo farina pinſitur, ſiue in quo maſſa apponebatur, poſtea generatim lances rotundas, ac ligneas docuit Caſaubonus ad Athenæum, Heſychii locum corrigens. Μαζόνομον, τὸν κύκλον, ἤτοι ξύλινον πίνακα. Gloſ. *Lances* Μαζόνομοι. Quæ igitur veteribus Magides dicebantur, cępere vocari, tympana, ſtateræ, & lances, à ſimililudine, quia iſta omnia rotunda. Vetus tympanum, cribri inſtar, ſtateræ, & lances eadem figura; Quæ omnia, aut repoſitoria fuerunt, loco Magidis, & mazonomi, menſæ culinariæ, inducta, aut non multum abſimilia. Ne quis cum Dalechampio, credat fuiſſe vaſa potoria, tympani eius figura, quo Galli matris Deûm, utebantur; non enim hic de poculis ſermo eſt.

Sed ætate Plinij ex argento ſolido facta repoſitoria, ſupra diximus, ſaltem eorum operculum, ſiue menſam. Credibile etiam eſt, inferiorem quoque partem, ſiue corpus ipſum: niſi enim ex ſolida materia, quomodo obſonia iurulenta iis contineri potuiſſent, & garum piperatum, ex *utriculis*, ſiue ut alii legunt, *veretriculis* Marſyarum, currere potuiſſet, ſuper piſces in Euripo natantes, & non effluere? In uniuerſum igitur, repoſitorium dicebatur, omne id, quo epulæ ferebantur, quodque ipſi menſæ ſuperimponebatur. Quanquam, illud, quo vaſa ad guſtum, ſeu promulſidem, afferebantur, *Guſtatorium*, ſiue *promulſidarium, & promulſidare* diceretur, illud autem, quo caput cœnæ, epulæque & obſonia, genera-

tim, ac ſimpliciter *repoſitorium*. Petronius. *Guſtantibus adhuc nobis*, (cum adhuc in menſa promulſidare eſſet) *repoſitorium allatum eſt, cum corbe, in qua gallina erat lignea, patentibus in orbem alis, quales eſſe ſolent, quæ incubant oua*. Vtrum vero ſimul cum repoſitorio, apponeretur, & auferretur menſa, non eſt tanti diſquirere: & nimis multa appoſita ſunt, quæ fortaſſe, neque iniucunda, neque inutilia erunt illis, qui ſcriptoris eminentiſſimi lectione lætantur.

Pugnare ad digitum. Quintilianus explicatus. *Cap. XIX.*

QVintilianus Lib. VIII. 5. de generibus ſententiarum diſputans. *Sed hoc*, inquit, *nomine, donarunt ea, quæ non dicunt, verum intelligi volunt: ut in eum, quem ſæpius à ludo redemerat ſoror, agentem cum ea talionis, quod ei pollicem dormienti recidiſſet; Eras dignus, ut haberes integram manum: ſic enim auditur, ut depugnares.* Fratrem è ludo gladiatorio, cui ſe auctorauerat, cum non ſemel ſoror redemiſſet, ne eodem relaberetur, dormienti pollicem abſcidit: cui talionis pœnam depoſcenti, dixit ſoror, dignus eras, qui integram manum haberes, ideſt depugnares, & te infami ludo dehoneſtares.

Sed quòd paulo poſt ſequitur, obſcurius eſt. Nam idem recenſens ſententias fallas, & longe petitas ait. *Contra eandem ſororem gladiatoris, cuius modo feci mentionem: At digito pugnaui*. In margine adſcriptum eſt: *Ad digitum mihi pugna eſt*. Quod de ſorte, ſiue digitorum micatione, intelligi vult Salmaſius ad Vopiſcum pag. CDLXXXXVII. Sicut illud veteris poetæ, cuius epigramma ſpectaculis Martialis adſcriptum eſt.

Lex erat ad digitum, poſita concurrere palma.

Sicut ante Salmaſium, Scaliger, & ex eo Scriuerius, explicarunt. Nam cum videret Cæſar, inquiunt, neutrum ab altero, pugnando vinci poſſe, iuſſit, micando digitis, inter ſe palmam ſortiri. Illi certamine redintegrato

Pugnauere pares, ſuccubuere pares.

Plane contra mentem poetæ. Nam ſi lex erat, ut digitis micando, palmam ſortirentur, illud à Domitiano ad dirimendam litem excogitatum

cogitatum non fuit. Deinde, quis unquam, *micare ad digitum*, pro micare digitis dixit? Non enim uno, ſed omnibus micatio fiebat. Populus utrique gladiatori à Cæſare miſſionem poſtulabat, ille legi fraudem fieri non vult, quæ pugnam ad digitum iubebat. Cur autem illi iam defeſſi legi non parebant, & rem in certamen digitorum non mittebant? Quid populi precibus opus erat, ſi lex illis ſubueniebat? Nec minus incongruum eſt, micare ad digitum, quam ſaltare ad manum, pro manu geſticulari, & deſaltare: quod Salmaſius commentus eſt, & nos ſupra refutauimus.

Ergo vera interpretatio Ramireſij: pugnare ad digitum, donec alter ſublato digito, ſe victum fateretur. Quam Muſambertius, cum cetera reprehenderet, damnare non eſt auſus. Sed etiam ſi, de micatione accipiamus, quænam ſententia erit, fratris ad ſororem? *Ad digitum mihi pugna eſt.* Nunquid ille micabat? Muſambertius corrigit. *An digito pugnaui?* Vt ſi diceret, *Quin tu manum meam præſcidiſti bona ſoror, non pollicem tantum: manu enim pugnaui, non digito: extenuandæque rei cauſa, digitum magis, quam pollicem dixit. Quæ ſententia, ut ait Fabius falſa: Falſo enim negat ſe pollice pugnauiſſe, quippe ſine eo pugnari non poteſt: longe petita, quia digitum dixit pro pollice.* Verum interpretatio talis eſt. Nam qui ait, ſe digito, ſiue ad digitum pugnaſſe, non negat ſe id feciſſe. Sententia ergo eſt, ſe more gladiatorum pugnaſſe ad digitum, ſcilicet, cum eo ſublato, ſe victos fatebantur. In quo aliud dicitur, aliud ſignificatur. Illi enim ſublatus digitus erat, cum à ſorore abſciſſus. Sententia falſa: quia non ipſe, ſed ſoror, digitum ſuſtulerat: & longe petita, non enim cum ſorore pugnauerat. Quare rectius legi puto. *Ad digitum pugnaui.*

Non minus obſcuritatis habent illa capite ſecundo eiuſdem Libri VIII. *Peſſima vero ſunt ἀδιανόητα, hoc eſt, quæ verbis aperta, occultos ſenſus habent. Vt conductus eſt cæcus ſecus viam ſtare. Et qui ſuos artus morſu laceraſſet, fingitur in ſcholis, ſupra ſe cubaſſe.* Quod ad primum pertinet, capite ſequenti, cum de vitiis orationis agit. *Vel hoc,* inquit, *vitium, quod κακόφατον vocatur: ſiue mala conſuetudine, in obſcœnum intellectum, ſermo detortus: ut ductare exercitus, patrare bellum, apud Salluſtium dicta ſancte, & antiquè, ridentur à nobis, ſi dijs placet. Quam culpam, non ſcribentium quidem iudico, ſed legentium. Tamen vitanda, quatenus, verba honeſta moribus*

Digitized by Google

perdidimus, & euincentibus etiam vitijs cedendum eſt.

Ex quibus intelligere licet, verbum *ductare*, in obſcænum ſenſum detortum fuiſſe. Nempe ex eo quod ait Iuvenalis in ſexta, de adulteri latentis, impatientia, *& præputia ducit*, μαςροπεύει, ſiue ut vetus Interpres, *fricat*, quæ vox nunc quoque Romæ inter cacophata. Vnde *ducere*, & *ductare* obſceno intellectu, non abſimili voce apud Italos, de qua in Originibus. Sicut non abſimilis ſententia, *& qui olim ductabat viros, nunc ducit virum*, quanquam diuerſa notione. *Ergo ductus eſt cæcus, ſecus viam ſtare*, ad Ianuvij portas. Cur autem, *patrare*, inter turpia, res clara eſt: quia ut Perſij Interpres vetus, *Patratio eſt rei Venereæ perfectio, unde, & Patres, & patranti fractus ocello.*

Alterum ſermonis in obſcænum intellectum detorti exemplum apud Fabium eſt, *cum iunctura deformiter ſonat*, ut ſi *cum hominibus notis, loqui nos dicimus, niſi hoc ipſum, hominibus, medium ſit, in præfata videmur incidere: quia ultima prioris ſyllabæ litera, quæ exprimi, niſi labris coeuntibus, non poteſt, aut interſiſtere nos, indecentiſſime, cogit, aut continuata cum inſequente, in naturam eius corrumpitur.* Ex quibus apparet, veteres *Cum*, per V pronunciaſſe, ut ſcribitur, non ut hodie per O, ita etiam per N. *Cun*:unde addita voce, hominibus, fiebat, *cunno, ſiue cuno*. Quæ vox CVN, niſi labris coeuntibus, exprimi non poteſt. Si autem non iungatur, ſiue ſi interſiſtamus, ſonat *Cun*, iuncta fit *Cuno*. Quanquam puto legendum eſſe, Cum notis hominibus, quia ait Fabius, niſi hoc ipſum *hominibus*, medium ſit, ideſt, inter *Cun*, & *notis*. Idem tamen ferè cacophaton, etiam ſi priori modo legatur.

In quo haud dubie Quintilianus Ciceronem reſpexit in Oratore. *Quid illud*, inquit, *non olet, unde ſi quod dicitur, cum illis, cum nobis autem, non dicitur, ſed nobiſcum? Quia ſi ita diceretur, obſcænius concurrerent literæ: ut etiam modo, niſi autem interpoſuiſſem, concurriſſent.* Et in epiſtola ad Pętum Lib. IX. 22. *Cum nos te volumus conuenire, num obſcænius eſt? Vtrobique enim genitale atuum deſignatur.* Vbi Manutius ait, veteres mendoſe pronunciaſſe CVN, pro *Cum*. Sed cur potius veteres, quam ætatem noſtram, mendoſæ pronunciationis inſimulat? Illi enim ut ſcribebant, ita pronunciabant, nos aliter loquimur, ac ſcribimus. Ad eam ergo obſcænitatem vitandam, nobiſcum, non *cum nobis* dicebant.

Digitized by Google

Vt ad Quintilianum redeamus: cur inter ἀδιανόητα referatur illud: *& qui ſuos artus morſu laceraſſet, fingitur in ſcholis ſupra ſecubaſſe*: intelligendum puto, de amantium concumbentium, ut Plautus loquitur, *morſiunculis*. Sed his temperandum, ne inuitia occulta, quæ in oratione vitanda præcipit Rhetor, aperte incidamus.

De faſciis ſepulchralibus. Item de ſudario, ſiue ſancta ſindone Chriſti Domini. Salmaſij ſententia exploſa. Cap. XX.

PAnnos infantiæ, *cunabula* dicta eſſe docuit Salmaſius ad Hiſt. Auguſtam, ex auctore de Ortographia, qui ait *incunabula eſſe pannos infantiæ*. Sicut Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſcribit, *Lazarum in monumento, cunabulis inuolutum*. Tam mortui enim quam infantes faſciis inuoluti, ut mox dicemus. *Cunabula* igitur à *cunis* diſtingui oportere. *Nam cunæ lectuli mobiles, in quibus infantes cubant: cunabula vincula infantiæ, quibus colligantur infantes, in cunis poſiti*. Id confirmatur auctoritate veteris interpretis Perſij, ſiue is Cornutus, ſiue alius fuit, ad Satyram II. *Auia, & matertera, quæ ſtatim puerum à cunabulis ſolutum, votis ſuis, Dijs commendant.* Addit Salmaſius, aperte cunas ab incunabulis diſtingui. Truculento. *Faſciis opus eſt, cunis, incunabulis*. Sed ſi incunabula, erant faſciæ, Plautus idem repetiiſſet; *faſciis, incunabulis*. Et illud Amphitruone, de Hercule. *Nemo eum colligare potuit incunabulis.* Credibile igitur eſt, *cunabula*, fuiſſe faſcias, inſititas, ſiue vincula, quibus infantes, iam faſciis inuoluti, ligabantur in cunis ut hodie fit, ne inde exciderent.

Quicquid ſit, mortuos pariter, faſciis, ſiue cunabulis inuolutos fuiſſe idem recte ſtatuit: hoc eſt, à capite ad pedes, faſciis, ac tæniis, inſtar infantium vinctos, & colligatos fuiſſe. Sic Lazarus traditur, egreſſus è ſepulchro, *ligatus manus, ac pedes inſtitis*. Eadem ratione, Chriſtum Dominum, more gentis, faſciis in ſepulchro inuolutum, nemo dubitare debet. Ioannis XIX. *Ligauerunt illud, linteis, cum aromatibus*. Et poſtquam reſurrexit. Cum veniſſet Petrus ad monumentum inclinans ſe, *vidit linteamina poſita, & ſudarium*. Ita & Lucas de eodem. *Procumbens vidit linteamina ſola poſita*, ideſt faſcias, *& ſudarium*, quibus inuolutus fuerat.

Salma-

Digitized by Google

Salmaſius, qui ex ſectæ diſciplina, impie auſus eſt, Sanctæ Crucis inuentionem pro fabula traducere: etiam ſanctam ſindonem, conuellere conatur, & carpere, in epiſtola de Cruce. Ait tribus in locis, eam oſtendi, quaſi totidem ſudariis inuolutum fuerit corpus Chriſti D. & quærit, quodnam ex illis verum ſit. De quo iudicare, noſtrum non eſt: illud falſum eſſe contendimus, cum pro ſudario, quo caput eius inuolutum fuit, hodie linteum latepatens exhibeatur, cui forma corporis Chriſti impreſſa viſitur, falſum inquam eſt, non fuiſſe tunc morem, corpora mortuorum linteis lectualibus amplis inuoluere, ſed ſolum caput ſudario tegi. Concedimus, quod ante diximus, totum corpus mortui, faſciis religari ſolitum, & quidem à faucibus, ad pedes, caput vero panno linteo opertum, quod proprie *ſudarium*: ut de Lazaro, *Et ſtatim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes inſtitis: Facies autem illius, ſudario erat ligata*. Talia hodie viſuntur Ægyptiorum condita cadauera, quas vulgo Mumias appellant.

Ioannis XIX. *Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*, ut ſupra retulimus. In Græco eſt ὀθονίοις: ideſt faſciis, ſiue linteolis. Item de linteaminibus poſitis in ſepulchro. *Et vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum*. Ex his colligit Salmaſius, corpus Chriſti D. faſciis vinctum de more, & ſolum caput ſudario inuolutum. Verũ per linteamina, non ſolum faſciæ intelligendæ ſunt, ſed & ſindon, ſiue linteum, quo totum corpus inuolutum, & poſtea faſciis religatum eſt. Quid enim opus erat, corpus nudum faſciis alligare? ſed illæ adhibitæ, ut linteum, quo corpus inuolutum erat, corpori adſtringeretur, ut nunc fit in infantibus. Lucas cap. XXIII. de Ioſepho Decurione. *Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu, & depoſitum inuoluit in ſindone, & poſuit in monumento*. Marcus item cap. XV. *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens, eum inuoluit ſindone*. In Græco, ἐνείλησεν, *inuolutum vinxit*. Prius ergo ſindone, ideſt magno, atque amplo linteo, corpus inuoluebatur: tum inſtitis, ſiue faſciis ligabatur, more infantium, & inter faſcias aromata condebantur.

Quid ad hæc Salmaſius eruditorum Alpha, qui ſolum ſudarium, capiti tegendo, ſolaſque faſcias adhibitas mortuis fuiſſe pro impe-

ſtio, ſtatuit? *Apparet*, inquit, *à Ioſepho emptum grande linteum tegmen, quod eſt ſindon, eamque in multas ſcidiſſe faſcias, quibus corpus Chriſti vinxit, & inuoluit*. Quæ tanto viro indigna ſunt. Quid enim opus erat, linteum illud, in faſcias ſcindere, & concerpere? Quaſi tunc faſciæ contextæ, & confectæ, in hunc uſum, venales non proſtarent: ut quoties iis opus eſſet, ad infantes, & mortuos ligandos, neceſſe eſſet lintea & ſindones conſcindere, & iis laceramentis, viuos, & mortuos inuoluere. Sane Athanaſius, in homilia de S. Paraſceue, quem locum Salmaſius contra ſe adduxit. *Vidémus*, inquit, *ferentem dona Ioſephum, & Nicodemum ſimul currentem, pura ſindone, & faſcijs, & ſudario, inuoluentes Vniuerſi dominum*. Tria fuere, ſindon, faſciæ, & ſudarium: ſindone corpus inuolutum, faſciis adſtrictum, ſudario caput obtectum. Sed cum in ſancta ſindone, etiam facies impreſſa cernatur, veriſimile eſt, caput quidem ſudario opertum, ideſt partem ſuperiorem, ita tamen, ut diuina facies, eadem ſindone, qua corpus inuolutum erat, tegeretur, atque ita eius imago cruenta, linteo imprimi facile potuerit.

Faſciarum ſepulcralium mentio, monet nos, ut aliquid de Pollinctoribus adiiciamus. Quia Salmaſius, ſaniore ſententia, inde dictos exiſtimat, quod mortuos pollingerent, ideſt faſciis, & tæniis, mortuos vincirent, & inuoluerent, dicti à perligando: quod ligere, & polligere veteres dixerunt, unde lictores, & pollinctores. Sanior inquam, & tolerabilior ſententia, ac notatio, quam Seruii, qui ad IX. Æneidos, ait Romanam conſuetudinem fuiſſe, ut mortui lauarentur, ideoque hos, qui hoc officium implebant, *pollinctores* appellatos, *qui mortuis os, polline oblinebant, ne liuor appareret extincti*. Ita & Turnebi, qui *pollinctorem* dictum ait, *à pelle ungenda*: ut eo antiquior Planciades, quaſi *pollutorum, ideſt mortuorum unctorem*. Nam Alciatus dure nimis, & improprie, à polline, quoniam in funeribus, cœnas opiparas, paneſque ex polline, qui flos farinæ, compararent.

Opinionem Salmaſij confirmat Arnobius Lib. I. *Poſt diem funeris tertium, pollinctorum voluminibus expediri*. Illud modo obſtat, quod nullus apud Romanos pollinctorum uſus, neque apud eos, qui corpora cremabant, fuiſſe videtur. Cum certum ſit, corpora cum toga in rogum illata. Iuvenalis Sat. III.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua

Digitized by Google

Nemo togam ſumit, niſi mortuus.

Et apud Martialem. *Toga mortui tribulis,* ideſt viliſſimi, & plebeii. Tantum apud Ægyptios, quique inde acceperunt, Iudæos, hic mos faſciis, & cunabulis mortuos inuoluendi. Etiam apud Græcos, qui pariter cadauera condebant, eum morem viguiſſe, indicat Artemidorus. *Si quis viſus ſibi fuerit, in ægritudine faſcijs inuolui, mortem portendit, quod tam mortui, quam infantes, faſcijs ligarentur.* Sed multo ante Proclus in Phędonem, quærens, cur mortui faſciis inuoluerentur, ad myſteria retulit, cum dicat, ſignificari expeditam ad ſuperos profectionem. An vero vinculis adſtrictus, expeditior ad ſuperos proficiſci poſſit, maius myſterium eſt. Præterea epigramma Lucilii in Anthologia, hoc confirmat. Vbi medicus, & pollinctor, de compacto ſic agunt, ut medicus, ſiue chirurgus, ægros omnes occideret, & pollinctori traderet pollingendos: pollinctor viciſſim, τελαμῶνας, ſiue faſcias, quas furabatur, de pollinctura, chirurgo donum mitteret, ad alliganda vulnera eorum, quos curabat.

Non tamen hoc perpetuam fuiſſe indicat Phlegon in illa mirabili hiſtoria, ſiue fabula, qua puella mortua, noctu ad amatorem veniebat: quomodo enim id facere potuiſſet, vincta faſciis, & obuoluta? Item apud Petronium, de mortuo, ab uxore in crucem acto: niſi fortaſſe prius vinculis euolutus fuit. Certe nemo Latinorum huius moris mentionem fecit. Nam Plautus in prologo Pęnuli.

Eorum alter viuit, alter eſt emortuus,
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Et in Aſinaria, act. v. 2. *Ecquis currit pollinctorem arceſſere?* Vtroque ut in Comœdia palliata, & ex Græco more loquitur. Quod ſi tantum apud Græcos, & exteros hic mos viguit, cur nomen Latinum inditum eſt? Quærant igitur eruditiores.

Illud etiam difficultate non caret, quod tradit D. Marcus, veniſſe mulieres ut ungerent Chriſtum D. iam ſepultum. Si enim corpus faſciis inuolutum erat quomodo ungi poterat, niſi voluminibus expeditum eſſet? Sed hoc intelligendum, allata fuiſſe ab iis aromata, & odoramenta, quæ iterum intra faſcias mitterent, ſicut ante ſepulturam, *ligatus fuerat faſcijs, cum aromatibus, ſicut mos eſt*

In-

Iudæis ſepelire. Et ideo alii Euangeliſtæ, tantum aromatum meminerunt. Sed de hoc more erit opportunior dicendi locus.

De crematione cadaueris apud Romanos: & quo pacto mortui cineres in urnam condendi, à fauilla rogi ſeparari potuerint. Cap. XXI.

QVirites cremare cadauera, Græcos, & alias gentes condere corpora conſueniſſe pervulgatum eſt. Ita tamen, ut antiquiſſimi Græcorum mortuos flammis abſumpſerint, & Romani aliquando, non combuſſerint, ſed intacta flammis, terræ mandauerint. Illud ex Homero notum in 1. Αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. *Semper autem rogi cadauerum ardebant frequentes.* Hoc ex Plinio Lib. VII. qui cremare cadauera non fuiſſe veteris inſtituti tradit. Nam initio mortuos terra conditos fuiſſe: & tamen à multis familiis, priſcum ritum ſeruatum eſſe: ſicut in Cornelia neminem, ante Syllam dictatorem crematum. Ita Numam, non fuiſſe flammis abſumptum, ſed conditum, declarat corpus ipſius, in arca lapidea poſt multa ſecula, à Gn. Terentio in Ianiculo inuentum.

Cur autem Romani cadauera flammis abſumerent, cum ceteræ gentes conderent, & integra terræ mandarent, hanc cauſam Seruius affert ad 11. Æneidos. Stoicorum opinionem fuiſſe, tandiu animas durare, quandiu corpora: unde Ægyptios peritos ſapientiæ, condîta diutius cadauera ſeruare conſueuiſſe, ut anima longo tempore perduraret, & corpori eſſet obnoxia, ne citò ad alia tranſiret. Contra Romanos feciſſe, comburendo cadauera, ut ſtatim anima, in generalitatem, ideſt in ſuam naturam rediret. Alii exiſtimant, ex decreto Thaletis fuiſſe, condere cadauera; qui cum omnia ex aquis conſtare, diceret, defunctos terræ mandari iuſſit, ut humore diſſoluerentur. Contra Heraclitus, cum omnia ex igne conſtare affirmaret, cremari cadauera voluit, ut ad originem ſuam reuerterentur. Sed ante Heraclitum, cadauera igne abſumpta, vel ex uno Homero conſtat, & ante Thaletem, condita, recepto gentium more.

Plinius vero exiſtimat, poſtquam intellectum ſit, longinquis bellis, cadauera erui, & manes inquietari, inſtitutum, ut flammis abolerentur. Ita Syllam dictatorem, primum in familia ſua, man-

uaſſe corpus cremari, ne, quemadmodum ipſe C. Marij cadauer erueràt, & in flumen abiecerat, ſic eius corpus victoris ludibrio exponeretur. Quæ ratio, non ita valida videtur: non enim conſtat Marium crematum more ceterorum non fuiſſe. Quod ſi tantum eius cineres, & oſſa erui, ac diſſipari, Sylla iuſſit, pœnam talionis metuere poterat, etiam ſi corpus igne abſumptum fuiſſet, urna confracta, & diſperſis cineribus, quod non ſemel hoſtili rabie, factum ſcimus.

Quæcunque cauſa fuerit huius inſtituti; illud obſcurum magis, & à viris doctiſſimis pertractatum, ſi corpus in cineres voracibus flammis redigebatur, quo pacto reliquiæ mortui, à rogi cineribus, & fauilla ſecernerentur, ut condi in urnam poſſent? Magna ſcriptorum pars, exiſtimat, cadauera, linteo, vel tunica inuoluta fuiſſe, confectis ex lino, quod vivum, ſiue asbeſton, Græci dixerunt, cujus natura eſſe dicitur, ut igne non abſumatur. De quo Plinius Lib. XIX. I. *Inuentum iam eſt etiam quod ignibus non abſumeretur, viuamque id vocant, ardenteſque in focis conuiuiorum, ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis, ſplendeſcentes igni, magis, quam poſſent aquis*. Sed idem, ſolis regibus, confectas funebres tunicas ex hoc lino, tradit. *Regum*, inquit, *inde funebres tunicæ, corporis fauillam, ab reliquo ſeparant cinere*. Quod ſi in uſu promiſcuo rogi Romæ fuiſſet, haud dubie additurus, neque hoc Regum peculiare, notaturus.

Sed eſſe non potuit uſus vulgaris, ob lini pretium, & raritatem. Adiicit enim *Naſcitur in deſertis, aduſtiſque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes, aſſueſcitque viuere, ardendo, rarum inuentu, difficile textu, propter breuitatem; Cum inuentum fuerit, æquat pretia excellentium margaritarum: vocatur autem Græcis asbeſtinum, ex argumento naturæ*. Aſſueſcit viuere ardendo, hoc eſt feruentiſſimi Solis, cuncta adurentis, æſtu non extinguitur, victurum poſtea etiam in igne. Ex quibus apparet, non potuiſſe vulgi cadauera, tam pretioſo inuolucro cremari: & ſi id factum fuiſſet, utique Plinius, rem tantam non omiſiſſet.

Alij igitur exiſtimant, ita in rogo cadauer collocatum, ut hinc inde quidem lignis, ac pyra circundaretur, alimentis tamen ignis non attingeretur: atque ita facile fuiſſe, cremato cadauere, eius cineres, a fauilla rogi ſeparatos. Sed hæc facilius diri, quam fieri poſ-

poſſunt. In ſummo enim rogo lectus, cadauer ſuſtinens, collocabatur, ut ijſdem lignis, quibus arſurus erat, non tangeretur modo, ſed fulciretur. Niſi corpus in aliquo vaſe æneo, aut ferreo, poſitum dicamus, in quo veluti pulli in teſtu, vel fictili olla, aſſaretur, & in cineres redigeretur: quod futile commentum eſt. In lecto enim, non in vaſe, cadauer ſtatuebatur.

Caſaubonus ad Suetonium in Auguſto, inanem quæſtionem eſſe exiſtimat, quæ multos viros doctos habuit exercitos: quanam ratione poſſent reliquiæ mortui dignoſci. Aitque oſſa lecta fuiſſe, eaque nondum plane diſſoluta, nec in puluerem redacta, in urnam condita. Et ſitum, ac collocationem cadaueris cremandi eiuſmodi fuiſſe, ut diſcernendi facultas eſſet. Idque clare doceri a Q. Calabro, in deſcriptione funeris Achillis Lib. IV. Ait enim pyram, vino extinctam: oſſa autem ipſius manifeſto apparuiſſe, quod alijs non erant ſimilia: nam fuiſſe, qualia ſunt Gigantis indomiti. Neque aliorum oſſa, cum illis mixta fuiſſe: quoniam boues, & equi, & Troianorum filij, longe ſeparati, in pyra iacebant: Achilles autem in medio, flammis domitus iacebat.

Sed hæc non aliud indicant, quam quomodo oſſa Achillis, ab oſſibus boum, & equorum, & Troianorum, qui eodem rogo cremati fuerant, diſcerni potuerint. Idque duplici ratione: primo, quia oſſa eius, veluti gigantis erant, & ideo magnitudine, à ceteris diſcreta: deinde ipſo ſitu: quod ipſe in medio rogi iacebat, cetera hinc inde. Debuit autem rogus ille vaſtus eſſe. Sed quæſtio eſt, quo modo, cineres mortui, à fauilla rogi, ſeparari poterant, conſumptis lignis, ſubſidente lecto, rogique cineribus, & lignorum fragminibus, obruto. Quæ non eſt ita inanis quæſtio, ut Caſaubonus cenſet. Non modo enim ſola oſſa, ſed et cineres collectos, & urnæ inditos, indicat cinerum non exigua copia, qui poſt tantum æui, in urnis reperiuntur, rara autem oſſa, & eorum fragmina. Et Cinerarium in vet. Inſcriptionibus, pro loca urnarum, in quibus cineres.

Salmaſius, ut ex eius familiari ſermone, retulit Schildius in notis ad Suetonium, ad illud de Auguſti funere, capite centeſimo. *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis*. Reliquias, dixit, cum veteres legerent, non fuiſſe tam anxios, ut omnes abſumpti cadaueris cineres, conquirerent,

& in urnam conderent, ut ſibi aliqui falſo perſuadent, qui linteum asbeſtinum, comminiſcuntur. Satis hos refutari, capacitate urnarum, quales plurimas ipſe vidiſſet, quæ vix cauæ manus geminatæ, magnitudinem, excederent. Hinc Agrippinam apud Tacitum Lib. II. Ferales reliquias mariti tuliſſe dicitur. Et Lib. III. *Feralem urnam tenens, egreſſa naui*. Inde Propertio dicitur, *Quod digitis quinque leuatur onus*.

Fuiſſe quidem, & urnas maiores, ſed ea oſſuaria appellata, in quibus urnas plures, & totius familiæ locatas. Cum igitur, aiebat, urnulæ eſſent tantulæ magnitudinis, quomodo totius corporis, & ſæpe quidem ingentis, capere cineres poterant? Dicendum igitur reliquias legere, nihil aliud fuiſſe, quam reſiduas oſſium particulas, colligere. Cum flammæ non ita ſæuirent in corpus, ut totum plane conſumerent: & ideo in urnis, ſæpe oſſicula inuenta: ita aliquantulum cineris adſperſiſſe, ſed exiguum. Oſſicula igitur, urnæ deſtinata, unde oſſilegium. Quæ eſt ſententia Caſauboni.

Sed quod ad urnarum capacitatem attinet: quæ quotidie effodiuntur, & in antiquariorum ædibus paſſim ſpectantur, iuſtæ magnitudinis omnes fere ſunt, ollarum inſtar, quæ non facile leuari poſſunt: paucæ admodum, paruæ viſuntur, quæ puerorum, & infantium fuere, eorum nimirum, quorum ætas rogi patiens erat. Nam nondum genito dente, cremari non conſueuiſſe, ex Plinio notum eſt, & ideo talis infans *minor igne rogi* eleganter à Iuvenale dicitur. Huiuſmodi urnas maiores, & hic, & in patria plures effoſſas vidi, quas vulgus ignarum, theſaurum eſſe credebat. Omnes fere eiuſdem magnitudinis, raro admodum parvulas. Quod vero aiebat, magnas urnas oſſuaria dictas, in quibus plures urnæ, & totius familiæ locarentur. Id neque factum, nec fieri potuit. Cum urnarum, ut plurimum ea figura ſit, ut ex ventre ouatim rotundo, in collum, fiſtulatim gracile, conſurgant, quo pacto urna, etiam parua intra maiorem mitti potuit? Quod ſi intellegit, cineres totius familia, vel plurium crematorum, coniectos, non eſt credibile, ad ſingula funera, urnam refoſſam, & cineres permixtos. Sed ipſe urnarum ſitus & poſitio, id credi vetat; Ita enim confertæ, & conſtipatæ (quod nō ſine admiratione, ſæpe ſpectaui) collocabantur, ut inde extrahi, niſi una, aut altera diffracta, potuerint, & quidem pronæ, oreque in terram verſo. Quod in hac Vrbe, prope templum

omnium

omnium Sanctorum, plurimi viderunt, qui adhuc ſuperſunt. Vbi olitor, qui dum altius humum molitur, in eas inciderat, delatus eſt, inuentum theſaurum, intercepiſſe, qui Orcinus theſaurus erat, cinerumque Cimelium.

Sed ſi tam magnæ, ac ponderoſæ urnæ erant, quales hodie videntur, quomodo Agrippina potuit, feralem mariti urnam geſtare? Potuit illa minor eſſe vulgaribus, neque fictilis, ſed ex auri, aut argenti tenuibus laminis, vel etiam vitrea: ita non admodum ponderoſa, nihilque cineribus leuius, unde Propertius pondus, *quod digitis quinque leuatur*, dixit. Certe ex plurimis urnis, eiuſdem ferè magnitudinis, vix una, & altera parvula reperitur.

Veriſimilius igitur eſt, urnas iſtas, quas paſſim videmus, unius tantum cadaueris cineribus, deſtinatas fuiſſe, qui cineres, proximi oſſium reliquiis erant, unaque oſſium ipſorum fragmenta, & reſiduas particulas, collectas, & conditas, quotquot colligi poterant: nec multum intereſſe viſum, ſi una cum corporis reliquijs, rogi cineres admixti fuiſſent. Lecta autem præcipue oſſium fragmenta, notius eſt, quam ut probatione indigeat. Quo alluſit Martialis Lib. VIII. 57. de quodam Picente, qui cum haberet tres dentes, illos, dum ſedet ad tumulum expuerat, ac terræ mandauerat.

Oſſa licet quondam defuncti non legat heres,
Hoc ſibi iam Picens, præſtitit officium.

Et Seneca in conſol. ad Marciam cap. XXII. *Adijce, incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum, oſſa viuis legentium.* Quintilianus Lib. VIII. 5. *Clarum auctorem iuuenis audiui, cum lecta è capite cuiuſdam oſſa, ſententia gratia, tenenda matri dediſſet. Infeliciſſima fœmina, nondum extuliſti filium, & iam oſſa legiſti.*

Poſtquam lecta oſſa erant, antequam urnæ inderentur, in ſinum condebantur. Seneca Conſol. ad Heluiam, cap. II. *Modo in eundem ſinum, ex quo tres nepotes emiſeras, oſſa trium nepotum recepiſti.* Tibullus. *Non hic mihi mater,*

Quæ legat in mæſtos, oſſa peruſta ſinus.

Eadem vino perfundebantur: *vino bibulam lauere fauillam.*

Quodque mirum eſt, etiam, in martyrum reliquijs, apud Chriſtianos, id ſeruatum. Prudentius hymno de S. S. S. Fructuoſo, Augurio, & Eulogio martyribus.

Tum de corporibus ſacris fauillæ

Et

Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.

Ceterum tempore Antoninorum, vulgo cadauera cremari deſijſſe, viri docti credunt: ſed nihil certi afferunt. Chriſtiani quidem, quod ego ſciam nunquam cadauera cremarunt, totamque hanc uſtrinam, ſuſtulerunt, & Iudæorum exemplo, integra ſepelire ſoliti, quos ex inſtituto Ægyptiorum, corpora condere, non cremare, conſueuiſſe, Tacitus tradit. Et Chriſtiani quidem, fiducia reſurrectionis, quam non longe abeſſe, ipſius Eccleſiæ primordio, ſibi perſuaſerant. Apud Minutium Felicem, in Octauio, Ethnicus contra Chriſtianos, declamitans, & reſurrectionem irridens, inter cetera ait. *Inde videlicet, & execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas. Quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen, & ætatibus, in terram reſoluatur: nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria conſumant: an humus contegat, an flamma ſubducat: cum cadaueribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna ſit, ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate, medicina.* Sed ante Minutium Tertullianus de reſurrect. Carpens Ethnicorum ſuperſtitionem, qui mortuis cibos deferebant. *At ego,* inquit, *magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſime exurit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit.* Quæ ſatis declarant, etiam poſt Antoninorum æuum, ab Ethnicis cremata cadauera, cum uterque ſcriptor, æuo illo inferior fuerit.

Fiducia, inquam, reſurrectionis, non eſſe cremata, à Chriſtianis cadauera, veriſimile eſt, ut in diſſertatione, de Lucernis ſepulcralibus, olim diximus. Cum enim incertus eſſet, ſupremi Iudicis aduentus, ipſis religionis incunabulis, non longe abeſſe, ſummum diem credebant, atque ita omnia faciebant, ut breui excitandas mortales exuuias, à tabe præſeruarent immunes. Et ideo, ut ait ille apud Minutium, Chriſtiani, *qui in totum unguenta abdicauerant, ea ſolis funeribus reſeruabant*, ut ibidem adnotatum eſt. D. Auguſtinus de Ciuit. L. 1. 13. ubi de officio Chriſtianorum, circa ſuprema, præcipue de unctione cadaueris diſputat, inter cetera, ait. *Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus, cum de cruce acceptum diligenter, atque honorifice ungendum, ſepeliendumque curarunt. Verum iſta auctoritates non hoc admonent, quod inſit aliquis cadaueribus ſenſus: ſed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam*

talia

Digitized by Google

talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis adſtruendam. Prudentius quoque in hymno S. Fructuoſi, & ſociorum, qui ignis ſupplicio, martyrium expleuerant.

Tum de corporibus ſacris fauillæ
Et perfuſa mero leguntur oſſa
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat:
Fratrum tantus amor domum referre,
Sanctorum cinerum dicata dona
Aut geſtare ſinu fidele pignus.
Sed ne reliquias reſuſcitandas
Et mox cum domino ſimul futuras
Diſcretis loca diuidant ſepulcris
Cernuntur niueis ſtolis amicti
Mandant reſtitui, cauoque claudi
Mixtim marmore puluerem ſacrandum:

Vt ſcilicet facilius, collecta in unum fragmina, vitæ reſtitui poſſent. Vbi etiam fieri non potuit, quin Sanctorum cineres, rogi fauilla admixti, collecti ſint. Quod non minus mirabile eſt, quam eoſdem cineres, & oſſa, more Ethnicorum, mero fuiſſe perfuſa.

Ceterum, quod ad morem cremandi cadauera pertinet, Macrobius Lib. & Capite VII. Saturn. ubi mulieres viris calidiores eſſe probare contendit. *Licet*, inquit, *urendi corpora defunctorum uſus, noſtro ſeculo nullus ſit: lectio tamen docet, eo tempore, quo igni dari, honor mortuis habebatur, ſi quando uſu veniſſet, ut plura corpora ſimul incenderentur, ſolitos fuiſſe funerum miniſtros, denis virorum corporibus adijcere ſingula muliebria, ut unius adiutu, quaſi natura flammei, & ideo celeriter ardentis, cetera flagrarent*. Quod puto compilatoris illius commentum eſſe. Cum certum ſit, unicuique ſaltem honeſtiori, ſuum, ac peculiarem rogum deſtinatum fuiſſe. Lucanus, de militibus veteranis, miſſionem à Cæſare poſtulantibus.

Ad mortem dimitte ſenes: en improba vota
Non duro liceat morientia ceſpite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire,
Coniugis illabi lacrymis, unique paratum
Scire rogum.

Nemoque, credo, aſſentietur, decem virorum corpora, adiectu muliebris, tanquam flammei, celerius arſiſſe.

De ritu vngendi cadaueris. Aromatum, & odoramentorum vſus tam in rogo, quam in ſepulcro. Cur Lazarus hoc modo curatus poſt quatriduum fœteret. Cap. XXII.

NOn Ægyptij modo, Iudæi, & Græci, qui defunctorum corpora condebant, & ſeruabant, ſed Romani, qui igne abolebant, unguenta, & odores funeri impendebant, hoc tamen diſcrimine, quod illi condito cadaueri infundebant, iſti arſura corpora, unguentis delibuta, rogo tradebant, ipſoſque cineres, atque oſſa, differta aromatis, terræ, mandabant. *Tarquini corpus bona fœmina lauit, & unxit.* Martialis de eo, qui nil præter unguenta in conuiuio appoſuerat.

Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

Artemidorus Lib. IV. 24. *Cum quidam in ſomnis vidiſſet, ſibi ægrotanti afferri unguenta, mortuus eſt: quia unguenta, una cum mortuis inferuntur.* Neque unius generis odores, rogo, urnæ, ac ſepulcro impenſos, notum eſt. Scilicet aromata, thus, caſiam, myrrham, ſed præcipue amomum, & cinnamum. Iuvenal.

Et matutino ſudans Criſpinus amomo
Quantum vix redolent duo funera.

Et Perſius.

Vrna oſſa in honora dabit, ceu ſpirent cinnama ſurdum.

Idque à Chriſtianis religioſe ſeruatum, vel unius Tertulliani teſtimonio apparet, in Apologetico. *Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabei, pluris, & carius, ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam dijs fumigandis.* Prudentius Cathemerinon.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha, Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.

Et in fine

Nos tecta fouebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti

Tumu-

Tumulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Hæc omnibus obuia ſunt: illud non item, quomodo factum ſit, cum Iudæi unguentis, & aromatis mortuos componerent, ut Lazarus, poſt quatriduum fœtens repertus ſit. Nam Theophilactus, in Caput II. Mathæi, explicans, cur Magi, cum auro, & thure, myrrham Chriſto infanti obtulerint: *Myrrham*, inquit, *ut deguſtaturo mortem. Nam Iudæi cum myrrha, mortuos ſepeliunt, ut corpus maneat incorruptum. Myrrha enim cum ſicca ſit, areſacit, & exſiccat humiditatem, & non ſinit innaſci vermes.*

Audiui ego iuvenis claros viros dicentes, non conſueuiſſe Iudæos, defunctorum corpora, unguentis, & aromatibus imbuere: idque Chriſto D. ex priuilegio conceſſum. Sed quis adeo in ſacris literis hoſpes, ut illa ignoret? *Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt eum linteis, cum aromatibus: ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Feſtivum autem, quod alius reſpondit, oblitas fuiſſe ſorores huius ſupremi officii. Nam ut illæ obliuiſci potuerint, non hercle familia, non libitinarius, & pollinctor, & deſignator funeris. Cui ſimile, quod alius ſuggerebat, unguenta, nonniſi longo temporis ſpatio virtutem ſuam exercere. Quaſi expectandum fuerit, ut cadauer in ſaniem ſolueretur, quo facilius incorruptum maneret.

Non aliter igitur huic difficultati occurrere poſſumus, quam ſi dicamus, non condijſſe Iudæos cadauera, ut Ægyptiorum mos erat, ſed unxiſſe tantum, & odoribus perfudiſſe. Aliud fuit, condire, ſiue medicare: aliud ſimpliciter ungere, & aromata iam compoſito addere: diuerſuſque utriuſque inſtituti finis. Ægyptij ideo condiebant, ut in longiſſimum tempus, & in ſecula ſeruarentur: ſiue quia exiſtimarent, tandiu animas durare, quandiu durarent & corpora, non ſine ſpe reſurrectionis, ut infra dicemus. Siue ut tradit Caſſianus Collat. XI. Quod cum mortuos in locis ſubterraneis, condere non poſſent, quia ſtagnante Nilo, eruerentur, & fluitarent: ideo in ſuperiore ædium parte, in loculis ligneis aſſeruabant, condita, & areſacta.

Hoc tamen de Nilo corporibus defunctis infeſto, falſum eſſe narrabat mihi V. C. Veſlingius, qui diu in Ægypto verſatus fuerat. Et Io. Nardius ad Lucretium, docet aduerſus Nili incrementum, qui ſtato tempore regionem quotannis inundat, & ideo vel corrum-

pere, aut ſaltem diſperdere cadauera poterat, Ægyptios trans flumen, in loco edito, & propè clivum alabaſtrinæ rupis, fodere ſibi ſepulcra ſerò cępiſſe, quod fortaſſe, priſcum morem, abominarentur, menſis cadauer admouendi.

Eſſe vero illud ſolum, qua ſpectat Aphricam, ſterile, atque marmoreum, non ita tamen durum, ac rigidum, ut ferro ſcalpenti, valde reſiſtat. Ac proinde facile fuiſſe ditioribus, exciſo ſaxo, concamerata cubicula ſubterranea ſibi parare, magno ſplendore, atque impenſa. Aſſertque figuram putei, eodem in lapide exciſi, unde deſcenſus erat per funes. Illinc delati, obſeruarunt in putei latere, non magnum foramen, per quod repentes magnificum conclaue concameratum reperiunt, in quo arca, cum cadauere condîto. Plurima autem fuiſſe cubicula, ex quibus labyrinthæis flexibus, ſine filo, vix pateat exitus. Puteos illos obturari accuratè operculis, & multæ arenæ aggeſtu, aduerſus Nili iniurias.

Cur autem conderent, non cremarent Aegyptij cadauera, cauſam affert Herodotus Lib. III. qui neque eos, neque Perſas, cadauera igne abſumere conſueuiſſe tradit, quod Perſæ ignem deum eſſe arbitrarentur: & ita nefas eſſe, deum paſci cadauere hominis, ac funeſtari. Atque ideo, prophane factum a Cambyſe, qui corpus Amaſis, e conditorio erutum, cum verberibus cædi iuſſiſſet, & modis omnibus vexari, tandem, & cremari, mandauit. Aegyptios autem corpora flammis ſubtrahere, quia perſuaſum habeant, ignẽ animatam belluam eſſe, & omnia deuorare, & poſtquam deuorauerit, una emori. Non eſſe autem morem apud eos, cadauera belluis tradere, & ideo ſalire: tum ob dicta, tum ne humatus, deuoretur à vermibus.

Veriſimilius tamen eſt, ab Aegyptijs corpora condita, ac veluti immortalia reddita, ex inani, & impia perſuaſione, animam, quam immortalem credebant, in alia ſubinde corpora migrare. Atque ubi per omnia ſe circumtuliſſet, terreſtria, marina, rurſus in aliquod humanum corpus introire. Atque hunc circuitum, ab anima fieri, intra annorum tria millia. Vt ergo, poſt longam illam peregrinationem, animæ corpora haberent, in quæ tranſirent, corpora condiendo veluti æterna reddiderunt.

Ratio autem Aegyptiæ conditurę, ſiue medicandi cadaueris, ex Herodoto, omnibus obuia eſt. Cum triplex ab eo ponatur, ditiorum,

Digitized by Google

tiorum, mediocrium, & viliſſimorum, in unaquaque, corpus exenterabatur, & aut extrahebatur alvus, aut per inferiora immiſſo medicamento, purgabatur, & LXX diebus, corpus ſaliebatur, aut Sole areſiebat. Quid autem ſimile à Iudæis factum, quis pronunciare auſit? Hoc in Chriſto D. factum, affirmare neſas: & Lazarus Aegyptio hoc more curatus, niſi nouo miraculo vitæ reſtitui potuiſſet, reſectis ſcilicet vitalibus, quæ in conditura, extracta. Nam quod Iudæi ſale perfunderentur, aut inſolarentur, illud vetat credere, quod à morte continuo, ſepeliebantur.

Non aliud ergo officium Iudæi mortuis impendebant, quam, ut corpus ungerent, & faſcijs inuoluerent, additis aromatibus. Ioannis XIX. *Venit autem Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt, cum linteis, cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudais ſepelire.* Nulla exenteratio, nulla ſalis conditura, nulla apricatio. Integrum corpus, & illibatum, ſepulchro tradebant. Ad quid ergo odores, & aromata, nihil profutura, profundebant? Siue ad tetrum cadaueris odorem, quandiu inſepultum iacebat, depellendum: ſiue quod falſo crederent, poſſe illis odoribus, & medicamentis, incorruptum diu perdurare: quod à myrrha factum, auide credidit Theophilactus. Nam niſi corpus Aegyptio more, extractis interaneis, aut cedro tabefactis, ante purgatum eſſet, etiamſi omnia Arabiæ odoramenta congeſta fuiſſent, à tabe immune præſtari non potuiſſet.

Fuit igitur illud pium quoddam, ſed inane in defunctos officium, fuit ritus, & conſuetudo populis illis recepta, & inueterata, & quoddam Aegyptiæ conditure veſtigium, fallax, nec duraturum. Cur enim Romani, arſura mox corpora, unguentis, & aromatibus perfundebant? Ad dirum uſtrinæ virus auertendum, & inani inſuper in mortuos officio. Perſius. *Craſſiſque lutatus amomis*

In portam rigidos Calces extendit.

Martialis XI.

Vnguenta, & Caſiam, & olentem funera myrrham,
Thuraque de medio ſemicremata rogo;
Et quæ de Stygio rapuiſti Cinname lecto.

Plinius L.VII.52. narrat, cũ quidam auriga, factionis Ruſſatę, elatus eſſet, unum ex eius fautoribus in rogũ, iecisse ſeſe. Sed ne hoc gloriæ artificis daretur, contrariæ factionis homines dixerunt, id cum

non

non deſiderio extincti, feciſſe, ſed odorum copia corruptum, & mente alienatum. Sic Plutarchus, in funere Syllæ, tantam copiam thuris, & odorum allatam, ſcribit, ut præter odores, qui portabantur in lecticis X. ac CC, ſimulacrum Syllæ iuſtæ magnitudinis, ex odoribus formaretur, ac prætera corpus lictoris, ex pretioſo thure, ac cinnamomo.

Sed hæc fuerint, ad cadaueris uſtulati odorem repellendum, ut diximus. Cur eadem odoramenta, urnæ indita, ut ſupra memorauimus? Cur immanis illa, & incredibilis profuſio Chriſtianorum, quam ex Tertulliano retulimus, componendis mortuis, qui non corpora modo, ſed etiam ſepulchra, & ſurdos lapides unguentis perſundebant, ut teſtatur Prudentius? Fortaſſe etiam odores, & aromata, cum mortuis ipſis ſepulta, ut cum aperirentur, illa conditoria, atque hypogęa, ad alios defunctos inferendos, ne fœtor putreſcentium cadauerum, inde erumpens, viuentes offenderet.

Sed Aegyptiam conditaram, etiam apud Iudæos, in uſu fuiſſe, aliquis credere poſſet, quod Geneſ. Cap. L. mortuo Iacob, *Ioſeph præcepit ſeruis ſuis medicis, ut aromatibus condirent patrem. Quibus iuſſa explentibus, tranſierunt XL dies.* Vbi cadauer conditum, & quidem XL diebus, & à ſeruis medicis, ideſt huius artificij, peritis. Verum cum Iacob in Aegypto defunctus eſſet, non eſt mirum, à Ioſepho, eorum more, curari, & condiri iuſſum: cum eundem Aegyptus etiam LX diebus, defleuerit. Quin, & ipſe Ioſeph, poſt mortem, eodem modo, compoſitus eſt, & aromatibus conditus, repoſitus eſt in loculo, gentis eius more. Sane cadauera hoc modo medicata, vulgo Mumiæ, nec apud Iudæos, nec alibi uſquam reperta ſunt, ſed apud Aegyptios modò. Nam nihil profuiſſe Chriſtianis prodigam illam odorum congeriem, teſtatur Prudentius, qui cum corpus, aſperſa myrrha, ſabęo medicamine ſeruatum dixiſſet, hymno in exequiis defunctorum, & de reſurrectione ſpem feciſſet, adiecit, *futurum, ut pigra cadauera, quæ tumulis putrefacta iacebant, priores animas reciperent.* Non ergo thus, & myrrha, arcere tabem potuere.

Sed de tota ratione condiendi cadauera, apud Aegyptios, multa præclare diſputat idem Io. Nardius, vir doctiſſimus in commentario ad Lucretium: ubi Libitinariorum fraudes, & impoſturas detegit, à quibus etiam Herodotus deceptus ſit. Cum enim ſperaſſet

miram

miram fragrantiam à medicato cadauere, tot tantiſque aromatibus differto, eo fracto, nihil præter gummi, & bitumen reperiſſe. Quod etiam Petrus Vallenſis, ille nobilis peregrinus, confirmat. Negat præterea corpora illa ſale indurata fuiſſe. Item falſum eſſe oſtendit, unguine cedrio, per clyſterem infuſo, aluum, & inteſtina tabefacta, atque exſtracta fuiſſe, cum auctoritate Plinij conſtet, cedria, defuncta corpora, incorrupta ſeruari, viuentia corrumpi. Et cetera, quæ apud eum perlegere operæ prætium fuerit.

Ceterum quemadmodum diuerſus mos, circa ſuprema mortalitatis fuit, cum alii cadauera cremarent, alij conderent: ita monumenta, ſiue ſepulcra, non unius generis fuerunt. Romani cineres conſumpti corporis, condebant in urna, eamque defoſſam, terra obruebant: ſuper erecto lapide, cum inſcriptione, qui cippus dicebatur. Græci, & reliquæ gentes, loca ſubterranea habuerunt, quæ Græci hypogæa, Latini conditoria, ac ſpelæa dixerunt. In quibus mortui iacebant, intra arcas, loculos, ſolia, alueos. Quæ quoniam ferme concamerata erant, etiam cellæ meretriciæ ſubterraneæ, Martiali monumenta dicuntur.

Abſcondunt turpes hæc monumenta lupas.

Talia, & apud Hebræos ſepulcra: Tale Lazari, tale Chriſti D. conditorium, concameratum, & foramine, quod ſaxo claudebatur, apertum. Recte enim Salmaſius ad Solinum, eorum opinionem refellit, qui putant, ex rupe, ſiue rupi inædificatum, ſicut pictores hodie deſcribunt. Nullam enim rupem ibi eſſe tradunt, qui loca ſancta luſtrarunt, ſed ſubterraneum, quodque ſuper impoſito lapide claudebatur. Rupem igitur eſſe petram, & monumentum illud, ex lapide, ſiue petra, ita conſtructum fuiſſe cenſet Salmaſius, ut ex terra cauatum eſſet, ſed lapide, ſiue petra concameratum. Verum totum è petra exciſum, ſiue ſcalpello excauatum, docent Euangeliſtæ: nam Mathæus ait, poſitum in ſepulcro, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ: *quod exciderat in petra.* Marcus ὃ ἦν ἐλατομημένον ἐκ πέτρας, *quod erat exciſum de petra.* Lucas. ἐν μνήματι λαξευτῷ. *in monumento, e lapide exciſo.* Fuiſſe autem ſubterraneum, ſuperimpoſito lapide, inde apparere idem oſtendit, quod Euangeliſtæ aduolutum lapidem dixerunt: quodque Petrus, cum veniſſet ad monumentum, *inclinans ſe, vidit linteamina poſita:* & Magdalena pariter, *inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum.*

Quan-

Quamuis autem Romani, urnam defoderent, cippo ſuper impoſito, & ideo nulla huiuſmodi loca ſubterranea, & cryptas habuerunt, temporis tamen decurſu, ampla, & inuidioſa monumenta exſtruere cęperunt. Hinc illud de Licinii ſepulcro.

Marmoreo Licinus tumulo clauditur: at Cato paruo:
Pompeius nullo: credimus eſſe Deos?

Et Xiphilinus Lib. LXVI. narrat, Iulium Sabinum, aliquot præliis ſuperatum, rus abiiſſe, & ibi ſe in ſubterraneum ſepulcrum, quod prius ipſemet incenderat, abdidiſſe. In quo ipſos annos nouem delituerit, cum uxore atque ex ea duos filios procreaſſe: omnibus illum, iam interiiſſe opinantibus.

An prandia, qualia hodie habentur, apud veteres in uſu fuerint. Quanam hora cenæ apud eoſdem, quidve conuiuia tempeſtiua, & intempeſtina. Cap. XXIII.

CElebris quæſtio eſt, num veteres prandiorum uſum nouerint? an vero cęnauerint tantum, ſicque ſemel modò, in die cibum ſumpſerint. Nam in antiquoum ſcriptorum lectione verſato, cum cibi mentio incidit, fermè cœna memoratur, rarò admodum, prandium. Hinc *vocare ad cœnam*, *condicere*, *promittere*: hinc cœna nuptialis, Pontificia, Saliaris, Aditialis, aduentitia, feralis, nouendialis: nemo vocatur ad prandium, nulla prandij mentio, cum celebritate. Propterea, qui Romanum diem, in ſuas horas, ac negotia diuiſerunt, nonniſi cœnæ mentionem fecêre. Ita Seruius ad illud poetæ.

Atque eadem, labente die, conuiuia quærit.

notat veteres, prandiorum uſum ignoraſſe. Cui adſtipulatur Feſti abbreuiator, cum ait. *Cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc eſt prandium.*

Seruij opinionem refellit Beroaldus, ut illis temporibus, vir doctiſſimus, qui non unam prandij mentionem, extare apud veteres, obſeruat. Nam Cicero v. Tuſcul. ſcribit, *Platonem ſolitum improbare vitam Italicorum: quoniam bis in die ſaturi fiebant.* Apud Plautum etiam, & Terentium, frequens prandij mentio occurrit. In Amphitr. Soſias. *Iaceo memini, quia eo die impranſus fui.* Quin Macrobius refert ex Val. Maximo, tantam fuiſſe veterum Romano-

rum

Digitized by Google

rum frugalitatem, ut patentibus ianuis, pranſitarent, & cœnitarent. Plinius Cæcilius de avunculo ſuo. *Cibum ſumebat interdiu leuem, & facilem, veterum more*: perinde ac prandium foret parcius, cœna copioſior. Herodotus quoque, Megacreontis Abderitæ dictum celebrat, qui aiebat, magnam ſe gratiam habere Xerxi, quod non bis in die cibum caperet: nam ſi prandium, & cœnam iuberentur Abderitæ parare, de ipſis peſſime actum iri, dicebat. Celſus quoque Lib. 1. 5. *æſtate prandere, commodum eſſe ſtatuit*. Præter hæc, celebratur à Plutarcho, illud Alexandri M. qui dictitare ſolebat, obſonium prandii, eſſe nocturnam ambulationem: cœnæ vero, prandii parcitatem. Adducit ultimo Beroaldus Ariſtotelis locum in problematis: *prandendum eſſe large, cœnandum parce*. Quod ab Hippocrate confirmari tradit. Et Iuuenalis. *Prandebat ſibi quiſque deus*.

Ad hæc concilianda, illud pro certo ſtatuendum eſt, cibum legitimum, & quotidianum, veteribus fuiſſe cœnam, qua ſcilicet poſt balneas, in lectis ad menſam diſcumbebant: & ideo frequentiorem cœnæ mentionem, quam prandii apud ſcriptores occurrere: omnes, ad cœnam, nunquam ad prandium, inuitari ſolitos. Et quod ad Græcos attinet, Mercurialis Lib. iv. Variarum cap. 17. Obſeruat, eos, præſertim Hippocratis tempore, nullam huiuſmodi conſuetudinis legem firmam habuiſſe. Nam multos ter, plures ſemel, plurimos bis, cibum ſumere, conſueuiſſe. Affert locum Hippocratis, in 11. de rat. victus, in morbis acutis: ubi ſanorum hominum conſuetudinem exponit. *Quippe*, inquit, *ſiue bis, ſiue ſemel duntaxat in die, quis, cibum ſumere ſolitus ſit, ſi ſubito conſuetudinem mutauerit, noxam, imbecillitatemque, ſubibit. Etenim prandium aſſumens, qui id non conſueuit, protinus imbecillis, grauis, ægrotus, ſegniſque redditur*. Et paulo poſt. *Quanquam ſunt nonnulli, quibus nihil moleſtiæ affert, ter in die, cibo repleri, præſertim, ſi ita educari conſueuerint*. Ex quibus colligi, non eundem apud Græcos cibi capiendi, morem fuiſſe. Quod vero Plato miratus ſit, Siculos, atque Italos, bis in die, cibo repleri, indicat, apud Græcos, raros fuiſſe, qui uſque ad ſatietatem bis quotidie cibum caperent. Verba Platonis ſunt, in epiſtola ad Dionem. *Quo cum veniſſem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracuſanarumque menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri*,

Digitized by Google

Quod ut de Syracuſanis, aut Sybaritis credamus; id Romæ nequaquam factum, niſi ab helluonibus, & paraſitis certum eſt. Ariſtoteles autem in problem. Sect. III. probl. II. ait illis qui Venerem exercere vellent, large prandendum, parce cœnandum, ut ipſis inſint pauciora cruda concoctis. Quod non poſuiſſet, ſi vulgo largius prandere, conſueuiſſent.

De Romanis autem ita Aldus Manutius Lib. I. de quæſitis ep. 4. Fuiſſe quidem in more, ut quandoque quater in die, cibum caperent. Primam fuiſſe matutinam ientationem, quam prandiculum priſci appellarunt: mox prandium: tum Cœnam: poſtremo comiſſationem. Nam merendam, quæ à cibo meridiano, nomen ſumpſit, cum prandio eandem, apud veteres fuiſſe, notat Feſtus: licet poſt prandium, & poſt meridiem collocet Nonius, & noſtra tempora ſeruant. Verum, ut idem ſubiicit, homines liberaliter educati, ac negotioſi, non modo quater, ac ne ter quidem, comedere conſueuerunt: magna pars, integram famem ad cœnam afferre. Ideo Suetonius, tanquam extraordinarium, & probroſum notauit, quod Vitellius, ille altiſſimus gurges, epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiret, in ientaculum, prandia, cœnas, & comiſſationes.

Hoc confirmat Celſus, in contrariam ſententiam à Beroaldo adductus. *Hieme, ſi prandet aliquis* (rarum igitur hoc erat, & tantum cœna in uſu) *utilius eſt, exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne, & potione* (talia veterum prandia) *ſumere. Æſtate vero, & potione, & cibo, corpus ſæpius eget: ideo prandere quoque commodum eſt*. Ergo, vel non prandebant, magna hominum pars, hieme: vel ſi prandebant, modicum quid, & ſiccum ſumebant: aliquid plus æſtate, ſed ita, ut non tantum, quantum in cœna, in qua largius veſcebantur: & prandium ſeorſim, & à ſedentibus ſumebatur, ad cœnam diſcumbebant, & cum amicis epulabantur, qui ad eam, nunquam ad prandium inuitari ſoliti.

Id confirmat Mercurialis loco laudato. Romanos ita aſſueuiſſe, ut maior pars ſemel ſaturarentur, atq; id veſpere: Mane autem, aut modicum quid, aut nihil omnino ſumerent, rariſſime ter eſitarent. Idque probat auctoritate Galeni in VI. de tuenda valetudine, eorum victus rationem docens, qui negotijs diſtricti ſunt, conſiderari mandat, melius ne ſit, in die ſemel, an bis comedere: atque hoc

Digitized by Google

ex conſuetudine definiri debere.

Qualia autem eſſent veterum prandia, vel unus Seneca docebit epiſt. LXXXIII. *Non multum mihi ad balneum ſupereſt: panis deinde ſiccus, & ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lauandæ manus.* Et epiſt LXXXVII. *De prandio, nihil detrahi potuit: nuſquam ſine caricis, nuſquam ſine pugillaribus: illa, ſi panem habeo, pro pulmentario ſunt* (obſonio), *ſi non, pro pane.*

In uniuerſum ergo, apud omnes fere gentes, cibus legitimus, & quotidianus fuit cœna, Hebræos, Græcos, Romanos. Certe in ſacris literis, rara admodum prandij, frequens cœnæ mentio occurrit. *Et fecit cœnam magnam.* Atque illa poſtrema, qua humani generis ſalus ſancita eſt. Et magna, quidem pars mortalium apud Romanos, præcipue negotiis occupati, ieiuni ad cœnam perdurabant, quæ tamen, ut mox dicemus non uſque in noctem, ut hodie fit, trahebatur, ſed æſtate prima, ac vigeſima, hieme, altera hora poſt, inibatur. Qui durare non poterant, ientabantur, ſiue aliquid leue, in cœnæ ſubſidium ſumebant: delicatiores, & otioſi, etiam prandium interponebant, ſed & illud leue, & quod de avunculo teſtatur Cæcilius, cęnâ parcius.

Tanta ergo veterum frugalitas fuit, eorum præcipue, qui vitam negotioſam agebant, ut matutinis horis, ſolo pane deguſtato, uſq; ad veſperam, & cęnæ tempus, impranſi perdurarent. Quod veterum ientaculum fuit, panis nempe ſiccus, ſiue merus, & ſine obſonio, ut Salmaſius docuit ad Capitolinum. Idque Βυκκίζειν dictum, à buccis panis, quibus aliqui, palmulas, aut uvas paſſas, aut quid ſimile addebant. Poſt ientaculum aliqui prandebant, maior pars, ut diximus, impranſi, cęnam expectabant. Sanè Plutarchus VIII. Sympoſ. 6. tradit, olim infames fuiſſe, qui ante cęnam quidquam edebant: quemadmodum Hippocrates de aere, aquis, pranſores infamia notatos tradit. Imò ibidem à Plutarcho notatum eſt, ἀκράτισμα, & ἄριϛον, ſiue ientaculum, & prandium, idem veteribus ſignificaſſe: atque alterum dictum eſſe, ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, à mero, quod ſolum veteres, mane ſumebant: vel ἀπὸ τῆς ἀκρασίας, ideſt ab incontinentia, qua notabantur, id facientes. Alterum autem, quaſi ῥᾳϛον, ideſt facillimum, quod faciliter, pararetur. Subiicit, Romanos, moderatè prandere ſeorſim, cum amicis vero, cœnare conſueuiſſe, ideoque cęnam, quaſi κοινὴν, ideſt communem, ab ipſis appellatam.

Quod igitur raro pranderent veteres, ideo ientaculum, cum prandio multi confundebant, quoniam utraque res tenuis eſſet, & in cœnæ ſubſidium. Horatius.

Pranſus non auide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare.

Feſtus. *Prandicula antiqui dicebant, quod nunc, ientacula.* Hinc factum ait Salmaſius, ut qui pranderent ſine ientaculo, vel ientarent, loco prandii, ſoluere ieiunium, dicerentur. Quod Galli *deiuner*, dicunt, quas *deieiunare*, ſiue ieiunium ſoluere; Græci διανηστίζεσθαι, & ἀπονηστίζεσθαι, quod ad verbum eſt, *deieiunare.* Cicero *integram famem ad ovum affero*, quod erat cœnæ principium. Horatius 1. Ode.

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit.

Vbi ut idem obſeruat, ſolidus dies, aut integer appellatur, quo die nihil quis edit, aut bibit. Idem

Dicimus integro, ſicci mane die
Dicimus uvidi, cum Sol Oceano ſubeſt.

Integro die ſicci, quo nihil guſtauerant, vel biberant, contra, uvidi. Idem Ode 7. Lib. 11.

Cum quo morantem ſæpe diem mero
Fregi.

Ideſt, dempſi partem de ſolido die, uſque ad cœnam ieiunus non perduraui.

Porro Caſaubonus ad Athenæum Lib. 1. 9. negat διανηστίζεσθαι, eſſe deieiunare, quod Galli *deiuner*. Nam Latini quidem, *deieiunare*, pro ieiunium ſoluere dicunt, ſicut, *deonerare, & dearmatus*, ſæpeque ita accipiunt particulam DE: Græcos τὴν διὰ, nunquam, qui Ieiunare dicunt, νηστεύειν, & νηστίζεσθαι: Frangere ieiunium, ἀπονηστίζεσθαι. Sed διανηστισμὸν, proprie eſſe ieiunii continuationem: διανηστίζεσθαι, ad finem uſque ieiunare. Nam qui apud Græcos, huius moris auctores fuere (nempe leue aliquid ſumendi in ieiunij ſubſidium) facti inuidiam leuare voluiſſe: quaſi non tam leui hoc cibo ſirſititio, ieiunium frangerent, quam illud præſtarent, ut ad præſcriptum moribus, aut religione ieiunii finem, poſſent durare.

Cœnæ hora, licet non ita certa ſtatui poſſit, quod alij citius, alii

ſerius

ſerius eam ſumerent, in uniuerſum tamen ab honeſtis, & negotioſam vitam agentibus, nonniſi poſt meridiem, & ſerius etiam initam, docuit Lipſius ad Tacitum, ita ut eam præuenire, exceptis feſtis diebus, aut lætitiæ, & ſolemnis officij cauſa probroſum haberetur: quod fuiſſe, de die conuiuari, nam dies pro meridie. Horatius. *Dictus here illic De medio potare die.* Catul. *Et conuiuia ſumptuoſiora De die quaritis.* Iuvenal. *Exul ab octaua Marius bibit.*

Cum ceteri æſtate, hora nona, ut diximus, ideſt prima, & vigeſima, hieme decima, cœnarent. Atque ita conuiuia de die, fuiſſe eadem, ac tempeſtiua. Tacitus Lib. XIV. *Medio diei, cum id temporis, per vinum, & epulas incaleſceret Nero.* Vbi Lipſius iure eos reprehendit, qui conuiuium tempeſtivum fuiſſe aiunt, quod ſuo tempore celebretur, cum eſſet, quod præueniebatur, & maturius agebatur: intelligit Manutium, qui ad illud Ciceronis de ſenectute, ubi Cato ait, *ſe tempeſtiuis conuiuijs delectari*, interpretatur, quæ nec ante inciperent, nec ſerius deſinerent, quam opus erat. Porro intempeſtivum, quod in noctem intempeſtam, protrahebatur. Quod & idem Manutius ſtatuit.

Atqui Salmaſius ad Vopiſcum p. 424. negat, ulla intempeſtiua conuiuia extare in veterum libris, niſi vitio librariorum; & ubicunque mentio occurrit intempeſtiuorũ, reponendum eſſe, tempeſtiua. Sed nemo mihi perſuaſerit, omnia ſcriptorum loca, eſſe corrupta, qui intempeſtiuorum meminerunt. Sed, quod ait, etiam tempeſtiua, in multam noctem producta: unde idem conuiuium tempeſtivum dici poſſet, quia temporius initum, & intempeſtivum, quod in noctem intempeſtam extractum. Quod ut aliquando fieri potuiſſe ſcimus, ita ſemper factum negamus: & ſi factum fuerit, non ita abſurdum videtur, potuiſſe idem conuiuium, propter diuerſam cauſam, tempeſtivum, & intempeſtivum dici. Cum tempeſtiua, ob lætitiam, ac feſti diei licentiam conceſſa, vel excuſata, nec ſeuero illo Catoni damnata, imo libenter frequentata: intempeſtiua damnata ſemper, & proſciſſa.

Quod vero ait, inepte, improprie, & intempeſtiue, eam vocem conuiuijs adplicari, quantumuis nocturnis, & intempeſta nocte agitari ſolitis: quia intempeſtiue fieri, & intempeſtivum id eſſe dicatur, quod importunum eſt, & moleſtum: quomodo autem conuiuia moleſta eſſe potuerunt, & quibus? Sed parum hæc ille tem-

peſtiue,

peſtiue. Proprie enim intempeſtivum, quod nimium. Vnde Lucretius intempeſtiuos imbres appellat Lib. II. *Putrorem cum ſibi nacta eſt*

Intempeſtiuis ex imbribus, humida tellus

Et paulo poſt eadem ſententia. *Vermiſque efferuere terram*

Intempeſtiuos, quum putror cepit ob imbres.

Et alibi. *Intempeſtiuas pluvias.* Ita Giſanius, *intempeſtiua* conuiuia dici ait, apud Ciceronem, & alios, quaſi non ſuis, & conſuetis horis. Quoniam autem quod nimium, utique moleſtum eſt, intempeſtivum pro eo accipi cępit. Ergo tempeſtivum quod maturius, ſiue temporius, intempeſtivum, quod extra, ſiue ultra tempus uſurpatum: illud aliquando conceſſum, hoc nunquam.

Quæ autem eſſent intempeſtiua conuiuia, indicat Curtius Lib. VI. de Alexandri luxu, tum primum erumpente. *Intempeſtiua conuiuia, & perpotandi, peruigilandique inſana dulcedo.* Peruigilandi, epulas in noctem extrahendi. Et infra. *Cum intempeſtiuis conuiuijs, dies pariter, nocteſque conſumeret.* Vigiles noctes dapibus, & poculis extenderet. Xiphilinus de Vitellio. *Plurimum diei, & noctis, epulis conſumebat.* Et Iuvenal. Sat. IV.

Nouerat ille, luxuriam
Imperij veterem, nocteſque Neronis,
Iam medias, aliamque famem.

Quod Sueton. *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat.* Tempeſtiui idem alibi meminit Lib. VIII. *Iamque iter parare in poſterum iuſſus, ſolemni, & tempeſtiuo adhibetur conuiuio.* Tempeſtivum, quia ſolemne, & ſolemnitatis illius cauſa, antecaptum, quod nequaquam ex uſu recepto, reprehenſioni obnoxium. Apuleius Apol. I. *Nuptiæ ne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an conuiuium tempeſtivum?* Ita ſeuerus ille Cenſor apud Ciceronem ait, *Conuiuijs tempeſtiuis delectari, propter ſermonis delectationem.* Quod cum tribus, quatuorve horis præuenirentur, longius fabulandi ſpatium præbebatur, & varios ſermones conferendi. *Neque enim*, ſupra inquit, *ipſorum conuiuiorum delectationem, voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar.* Sic Cicero ad Atticum L. IX. *Audio bonis viris, hanc cunctationem noſtram, non probari, multaque, & ſeuera in me, in conuiuijs quidem tempeſtiuis, diſputari.* Quibus largior loquendi copia, & ſpatium.

Hæc

Hæc licet aliquando permiſſa, tetricis tamen patruis damnata. Seneca de ira. *Inde eſt, quod tempeſtiua filij conuiuia, pater deterior filio caſtigat.* Quod contra maiorum diſciplinam.

Hæc conuiuia tempeſtiua Græcis ἰνωρότερα dicta docet Caſaubonus ad Athenæum, quod ſignificat, μᾶλλον ἐν ὥρᾳ, quod Idiotiſmo noſtro, *bona hora*. Latinè, mature: de tempore, ut auctor de bello Hiſpanienſi. *Ipſe de tempore cœnauit.* Plaut. *Tempori.* Vnde *temporius*, eodem ſenſu.

Legitima ergo cœnæ hora fuit æſtate nona, hieme decima. Serior etiam apud occupatos, & negotiis diſtrictos: hoc eſt die in veſperam flexo, labente, moriente, ut aliis obſeruatum.

De more tranſiliendi per ignem expiationis gratia. Ea ſuperſtitio diu apud Chriſtianos retenta. Fabæ pellendis lemuribus iactatæ. Id in melius à Chriſtianis deflexum. *Cap. XXIV.*

VEtus interpres Perſii ad illud Sat. 1. *Et fumoſo Palilia fœno.* *Varro*, inquit, *Palilia tam priuata, quam publica ſunt apud ruſticos, ut congeſtis cum fœno ſtipulis, ignem magnum tranſiliant, his Palilibus, ſe expiari, credentes.* Similia affert Cornutus. *Palilia dicit diem ſacrum, in honorem Palis, deæ paſtoriciæ, cognominatum: quo die poſitis in foco manipulis fœni, ludibundi ruſtici ſaliebant: qui expiari ſe hoc ſacrificio credebant. Ideoque fumoſa dixit.* Addit, eo die Romam conditam fuiſſe. Eum luſum, ac laſciuiam ſæpe à pueris obſeruari vidi, præcipue in patria, die natali D. Ioannis Baptiſtæ, ſacro. Et veteris quidem ſuperſtitionis reliquias eſſe intelligebam: ſed cur eo die uſurparetur, ambigebam. Donec apud Caſaubonnm commentario in Perſium legi Theodoriti verba de hoc ritu, in quæſtionibus nondum editis. Nam explicans morem, tranſmittendi filios per ignem, cuius ſæpe fit mentio in ſacris literis: adhuc ſua ætate, ſeruatam fuiſſe eam conſuetudinem ſcribit: idque ſe in quibuſdam ciuitatibus fieri vidiſſe teſtatur. *Namque in plateis, ignes accenſos, quos ſaltu tranſmitterent, non pueri ſolum, ſed & viri: infantes autem a matribus, per flammam circumlatos, auertendi mali, & expiationis cauſa.*

Laudat ibi Caſaubonus teſtem Balſamonem, qui ad Concilii Trul-

Trullenſis canonem LXV. affert verba Cyri Michaelis, Conſtantinopolitani Patriarchæ, quibus ritus multos annotat, quos die XXIII, vel XXIV. Iunii nonnulli uſurpabant. Inter cetera, quod ad veſperam XXIII. Iunii (peruigilio natalis D. Io: Baptiſtæ) congregabantur in vicis, & compitis, item in domibus viri, ac mulieres, & per totam noctem, ignes accenderent, & eos ſaltu tranſmitterent, & omina captarent, ſiue diuinarent, de rebus ſecundis, & aduerſis, δαιμονιωδῶς. In illo autem canone diſerte vetantur huiuſmodi ignis accenſiones, pro domibus, atque officinis, extrui ſolitæ, quas ex veteri more ſtulte tranſilirent.

Quæ ſuperſtitio, haud dubie inde orta, quod Palilia XXIV eiuſdem menſis, Romæ natalis, celebrarentur, feſto illo igne, & per eum ſaltu. Eadem autem dies D. Io: Baptiſtæ natali dicata: ideſt utriſque communis, eodem ritu celebrata. Propterea diem illum D. Baptiſtæ ſacrum, *lampadem* vocatum, ex Io: Chryſoſtomo docuit Scaliger in ſeptimo de Emendat. temp.

Altera ſuperſtitio nondum plane exoleuit. Sed in melius correcta, & ſaniori officio aptata. Sicut primi illi Eccleſiæ proceres, non paucas, contumacius inhærentes, cum ſtirpitus euellere non poſſent, ad ſanctius miniſterium reuocarunt, quemadmodum templa ipſa Deorum, exaugarata, vero Numini, eiuſque Diuis, ſacrarunt. Fabas, cognatum Pythagoræ legumen, infeſtis Manibus, laruiſque, ac lemuribus, vel placandis, vel domo eiiciendis, adhibitas, notum eſt. Varro de vita pop. Romani. *Quibus temporibus, in ſacris Fabam iactant, ac dicunt, ſe lemures domo, extra ianuam eÿcere.* Ouidius II. Faſtorum, de vetula, quæ manes placabat.

Cumque manus pure, fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore, fabas.
Auerſuſque iacit: ſed dum iacit: Hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meoſque fabis.
Hæc nouies dicit, nec reſpicit.
Vmbra putatur.
Colligere, & nullo terga vidente, ſequi.

Alibi. *Et ſeptem nigras, verſat in ore fabas.*

Plinius Lib. XVIII. 12. *Quin & priſco ritu Fabacia, ſuæ religionis Dÿs in ſacro eſt, prævalens pulmentari cibo: & hebetare ſenſus exiſtimata,*

Digitized by Google

ſtimata, inſomnia quoque facere: ob hac Pythagorica quoque ſententia damnata, ut alij tradidere: quoniam mortuorum animæ ſint in ea, qua de cauſa, parentando quoque aſſumitur. Varro, & ob hac, Flaminem ea non veſci, tradit: & quoniam in flore eius literæ lugubres reperiantur. Feſtus. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere: nam & Lemuralibus iacitur laruis, & parentalibus adhibetur ſacrificijs.*

Inualeſcente igitur Chriſtiana religione, cum pravus hic mos, in totum extirpari non poſſet, inſtitutum eſt, ut pulmentaris hic cibus, quo die fidelium defunctorum omnium memoriæ parentatur, pauperibus erogaretur: nullaque ferè domus eſt, in qua fabæ, & quidem nigræ, non decoquantur, & confluenti mendicorum turbæ, largè miniſtrentur. Alioqui nulla erat cauſa, cur eo tantum die id genus leguminis, miſeræ plebi diuideretur.

Feriæ Caprotinæ. Ouidius explicatus. Cap. XXV.

OVidius in II. de arte eleg. I.

> *Sed tamen, & ſeruo, leuis eſt impenſa, roganti?*
> *Porrige fortunæ munera parua ſuæ.*
> *Porrige, & ancillæ, quæ pœnas luce pependit*
> *Luſa maritali Gallica veſte manus.*

Hæc poſtrema amico meo, cetera bene docto, viſa ſunt inexplicabilia. Interrogaui eum, nunquid interpretes conſuluiſſet? Reſpondit, ſe nihil præter ineptias apud eos reperiſſe. Alios enim ſic explicare, quaſi ancilla ex gente Gallica, credens, adulterum introducere nocte, ad dominam, inſciens, maritum alia veſte indutum, ut fidem uxoris experiretur, exceperit, cumque maritus, eſſe uxoris lenam deprehendiſſet, ab ea pęnas exegiſſe.

Alii ex Plutarcho in vita Camilli hanc fabulam, ut ipſe appellat, afferunt. Latinos, ſiue in ſpeciem, ſiue reipſa, inſtituiſſe, de integro contrahere inter utramque gentem, affinitatem: ac legatos miſiſſe, qui ingenuarum puellarum a Romanis poſcerent connubia. Fluctuantibus quid conſilii caperent Romanis, (quippe & bellum horrebant, & poſtulatione connubii, obſides peti, ſuſpicabantur) ancillam Tutolam nomine, ut alii, Philonidem, principibus ſubieciſſe,

Digitized by Google

ſecum ut mitterent ancillas, quæ ætate florente, & liberali eſſent forma, in virginum ingenuarum morem excultas: ſibi cetera fore curæ. Principes, probato conſilio, delegiſſe ex ancillis, quas ad eam rem illa probaſſet, eaſque ſtola ornatas, atque auro, Latinis, qui ſtatiua non procul habebant ab Vrbe, tradidiſſe. Nocte ceteras, gladios hoſtibus ſubtraxiſſe, Tutolam, conſcenſa edita caprifico, & ſtolâ aduerſus caſtra obtensâ, facem, Romam verſus ſuſtuliſſe, quod ei cum magiſtratibus ſignum, aliis inſciis ciuibus conuenerat. Quapropter, tumultuariè à militibus excurſum fuiſſe, cum inſtarent duces, vallum, nec opinantibus hoſtibus, ſopitiſque adortos, cœpiſſe caſtra, atque maxima ex parte hoſtes obtruncaſſe. Idque geſtum Nonis Quintilibus. In cuius rei memoriam, ea die ancillas ſplendide comptas circumire: ad epulum conſidere, ficulneis ramis inũbratas: eamque diem nonas Caprotinas, à caprifico, ut arbitrantur, ex qua facem puella ediderit, nominatas.

Hęc omnia ferè ſolens ex Plutarcho ſublegit Macrobius Saturn. 1. Nihil tamen ad Ouidii ſententiam faciunt, qui non Latinos, ſed Gallos, hoc dolo deceptos, indicat, cui ut Romano, maior fides habenda. Illi tamen, ex eodem Plutarcho lux petenda eſt, in Parallelis. Narrat enim Sardianos, bello cum Smyrnæis contracto, cum Vrbem obſiderent, miſſis legatis, denunciaſſe, ſe non ante diſceſſuros, quam ſuarum uxorum copiam, ipſis Smyrnei feciſſent. Sed à quadam formoſa ancilla, hoc conſilii ſubiectum, ancillas ornatas, loco ingenuarum, mittendas. Quo facto, hoſtes ab ancillis defatigatos, in poteſtatem Smyrnæorum veniſſe. Subiicit deinde ex inſtituto, ſimile Romanum exemplum. Atepomarum Gallorum regem, bello Romanos infeſtantem, profeſſum, non ante ſe receſſurum, quam Romani uxores ſuas Gallis miſiſſent: Romanos, ancillarum conſilio obſecutos, eas pro ingenuis miſiſſe: hoſtes Venere fatigatos, in ſomnum lapſos, Retanam (ea princeps conſilii fuerat) caprifico conſcenſa, in murum euaſiſſe, remque indicaſſe Conſulibus. Ita Romanos, facta eruptione, pęnas ab hoſtibus, exegiſſe: ex quo dies ille feſtus ancillarum initium ſumpſerit. Hæcque ex Ariſtide Mileſio Italicorum 1.

Ex his cuncta erunt ipsâ luce liquidiora, modo verborum ſtructura recte conſtituatur. *Porrige & ancillæ, qua luce, Gallica manus, maritali veſte deluſa, pœnas pependit.* Seruulos, & ancillas, ab ama-

amatore, muneribus colendas: & has quidem Nonis Caprotinis, peculiari earum feſto, in memoriam eius diei, quo Gallicus exercitus, deceptus veſte maritali, ideſt ſtola matronali, Romanis pœnas perſoluit. *Qua luce*, ideſt quo die. Eiuſdem feſti meminit Auſonius in Eclogario.

Feſta Caprotinis memorabo celebria Nonis,
Quum ſtola matronis dempta, teget famulas.

Ex quo apparet, ea die ancillas, ſtolam, ideſt tunicam purpuream, auro ſegmentatam, peculiarem matronarum, geſtaſſe. Sicut eadem die matronas prætextatas ſacrificaſſe tradit Varro de L. Lat. v. *Nonæ Caprotinæ, quod ea die, in Latio, Iunoni Caprotinæ, mulieres ſacrificant, & ſub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis.*

Cur caput Aſelli coronatum in fronte lectorum tricliniarium poſitum. Iuvenalis explicatus. Quid bucca *apud eundem. Cap. XXVI.*

IVuenalis de veterum frugalitate loquens Sat. xi. hæc habet

Nemo inter curas, & ſeria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Troiugenis factura, ac nobile fulcrum;
Sed nudo latere, & paruis frons aerea lectis,
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Ideo vile illud caput præfixum tradunt Interpretes, quod Etruſca diſciplina eo incommoda agrorum arceri credebant. Sed cur in lectis, & conuiuio, & non in agro, aut eius limite id amuletum poſitum eſt? Sane Columella de cultu agrorum ait

Nunc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli,
Tyrrhenus finxiſſe Tages, in limite ruris.

Ergo ab Hygino huius ritus cauſa petenda eſt, quamuis locus mutilus, & defectus ſit. Fabula CCLXXIV. *Antiqui noſtri, in lectis tricliniaribus, in fulcris, capita aſellorum, vite alligata, habuerunt, ſignificantes* ✱ *ſuauitatem inueniſſe.* Ad eam lacunam ſupplendam, coniicio ſimile quid afferri poſſe. Quod pampinos prærodendo, putare vites docuerit, atque ita vini ſuauitatem inuenerit. Vite ergo coronatum caput fuit.

Digitized by Google

Nudo latere: explicant, ſine fulcro, aut latere, ad quod ſe inclinent. Imo latus eſt ſponda & fulcrum lecti, nudum, non teſtudine, aut auri, & argenti laminis indutum. Vetus Interp. *nudo latere, non ornata ſponda*. Frons autem lecti, diuerſa à ſponda, ſed pars altior ad caput, ære tum obducta. Cui ſequenti æuo ornamenta addita. Val. Maximus de maieſtate. *Si quis cognoſcat lecti illius frontem, Macedonicis triumphis fuiſſe adornatam*.

Idem Satyra III.

Quondam cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notaque per oppida buccæ.

Buccas interpretantur tibicines, in municipiis, vel theatris oppidanis canere ſolitos, habentes buccas, quibus cornua inflabant, ſatis notas: quaſi dicat, in oppidis Vrbis, notum & illos fuiſſe cornicines, ſiue buccinatores, à buccis, quas inflabant, dictos. Alii homines, ſæpius per vulgi ora traductos. Salmaſius ad Lampridium, buccas, paraſitos fuiſſe ait, qui in Gloſſis, *bucellarij, & buccones*. Id confirmat alio Iuvenalis loco, nempe Satyra XI.

Seu tu magno diſcrimine cauſam
Protegere affectas, te conſule, dic tibi, quis ſis
Orator vehemens, an Curtius, & Matho bucca.

Vbi de paraſitis & ſcurris non loquitur poeta, ſed Oratori acri, & vehementi, opponit cauſidicos viles, ac plebeios, & rabulas. Qualis Curtius Montanus & Matho, de quo Sat. I. *Cauſidici noua cum veniat lectica Mathonis*. Et alibi. *Matho deficit*. Neque ſuperiore loco, perpetui illi comites municipalis arenæ, ſcurræ eſſe poſſunt, & bucellarii, quis enim gladiatoribus paraſitaretur? neque ab inflandis tibiis, buccæ, ſed vel cauſidici municipales, & oppidani, vel quod veriſimilius eſt, præcones, & *ideo notæ per oppida buccæ*, in quibus, præconium faciebant, hoc eſt, urbanis præconibus ignobiliores: ſicut ſectatores non urbanæ arenæ, ſed mnnicipalium gladiatorum. Quod autem aiunt, cornicines iſtos, gladiatoribus canere ſolitos, hoc nuſquam lectum eſt: in theatro quidem, non in arena. Cornicines in ludis ſcenicis, ideſt in theatro: arenæ autem comites, ideſt operam gladiatoribus locantes: buccæ, vel viliſſimi cauſidici, vel præcones.

Digitized by Google

Plautus non ſemel illuſtratus, & emendatus. *Cap. XXVII.*

HOc Caput Plauto dicabitur, ut poſt tot præſtantiſſimorum vigilias, qui eo illuſtrando deſudarunt, reliquias reliquiarum colligamus. Nihil enim amplius ſperare licet, cum omnia fere ſint occupata.

Amphitruonis prologo.

Ipſe hanc acturu'ſt Iuppiter Comœdiam.
Quid admirati eſtis? quaſi vero novum
Nunc proferatur, Iouem facere histrioniam.
Etiam hiſtriones, anno, cum in proſcenio hic
Iouem inuocarunt, venit: auxilio eis fuit.

Quæ de Nano meretrice afferuntur, ſomnia ſunt. Perſtringit enim poeta hiſtriones, qui anno antecedente, cum fabulæ exitum non inuenirent, Iouem è machina aduocarunt, quod verba illa indicant, *Auxilio eis fuit*. *Anno* autem, non olim, & iam pridem, ſed anno præcedente. Idem Menæchm. Act. 1. 3.

Quatuor minis ego emi iſtanc, anno, uxori meæ.

Eadem fabula Actu. 1. Sc. 1. ait Mercurius, in ore Soſiæ pugnorum ſementem facturus.

Quid ſi ego illum tractim tangam, ut dormiat?

Sic exponunt. Ludit verbis ambiguis, & eſt. *Virgam ὑπνοδότιδα, ducam ſupra illius oculos, ut conniueat, & ſopiatur: & præterea alapam illi ducam, repetamque toties, donec in ferreum ſoporem, collocem.* Ambiguis quidem verbis, ſed haud dubie reſpexit ad tractatores, qui manu artifice, membra percurrebant, & molliter trahebant. De quibus Seneca ep. LXVI. *Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam, & retorridam manum Mucij, quam cuiuſlibet fortiſſimi ſaluam? Stetit hoſtium, flammarumque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem, perſpectauit, donec Porſenna, cuius pœna fauebat, gloriæ inuidit, & ignem inuito eripi iuſſit.* Poſt paulo. *An potius optem, ut malaciſſandos articulos, exoletis meis porrigam? ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro verſus, digitulos meos ducat? Quidni ego feliciorem putem Mucium, qui ſic tractauit ignem, quaſi illam manum, tractatori, præſtitiſſet?*

Digitized by Google

Vbi Lipſius hunc morem, ex Martiale confirmat Lib. III.

Percurrit agili corpus arte tractatrix.

Molli manu demulcet, & perfricando, malaciſſat. Item ex Athenæo Lib. VI. de Paphio adoleſcente. *Iacebat quidem ille in lectulo, ſed ad pedes lecti ſedebat quiſpiam, qui eius pedes, genibus ſuis imponens, tenui panniculo confoueret. Deinde alius, ad ipſum lectum ſedens, cum adoleſcens, manum ſuam, veluti languidam remiſiſſet, ille appronans ſe, & huic accidens, demulcebat eam, & contrectabat, digitorum ſingulos trahens, & extendens.* Quoniam autem hac contrectatione, ſomnus conciliabatur, Mercurius ambigue ludens, ait. *Quid ſi ego illum tractim tangam, ut dormiat?* Vnde Soſia reſpondet.

Seruaueris:

Nam continuas has tres noctes peruigilaui.

Sed ille de ferreo ſopore intelligebat, quò Soſiam, pugnis perducturus erat.

Quod ſequitur.

Peſſumum eſt

Facinus, nequiter ferire mălam, male diſcit manus.

Fruſtra ſollicitant, & inuertunt. Nequiter ferire malam maledicis manum. Nam conqueritur Mercurius, neſcire manum ſuam, recte malam, ſiue maxillam ferire. Luditque in malâ, & malè. Subiicit

Alia forma oportet eſſe, quem tu pugno legeris.

Turnebus, tranſlatum à legulis uvarum, & fructuum putat. Simplicius Gruterus, quam tu elegeris verberandam. Itaut, ſicut apud pugiles, facies fracta ita deformetur, ut agnoſci non poſſit.

Eadem ſcena.

At ſcin quomodo?

Faciam ego hodie te ſuperbum, ni hinc abis.

SO. *Quonam modo?*

MER. *Auferere, non abibis, ſi ego fuſtem ſumpſero.*

Superbum, Nonius recte, *mortuum interpretatur*. Non tamen ut Gutherius, quod tunc potiſſimum ſplendidiore habitu mortui efferantur, etiam pauperes. Sed ſimpliciter, quia mortui in feretro ſublimes. Et ita ſuperbus eris, ſiue impoſitus humeris, & ſuper capita hominum auferetis, ſiue mortuus ſublimis efferere.

Poſt paucos verſus.

ME.

Digitized by Google

ME. *Aduenisti audacia columen, conſutis dolis*

SO. *Immo equidem tunicis conſutis, huc aduenio, non dolis*.

Vbi Gruterus notandum ait, tunicam Plauti æuo, communem Romæ ſeruorum veſtem fuiſſe: ruſticorum item in coloniis, & municipiis. At temporibus Imperatorum, non tunicas amplius fuiſſe, ſed pęnulas in uſu ſeruorum, perinde ut militum. Mira rei veſtiariæ inſcitia. Nam ſemper & ubique tunicæ ingenuis, & ſeruis, ciuibus, & ruſticis, communes: ſola toga diſtincti à ſeruis ingenui, quandiu ea geſtata, & tam lacernæ, quam pęnulæ tunicis impoſitæ. Illud quidem notandum, ſaltem duas tunicas vulgo geſtatas, hinc apparere, & alibi apud Plautum. Aulul. act. I V. ſc. 4. *Age dum excutiendum pallium*. Mox. *Ne inter tunicas habeas*.

At illa in extremo ſcenæ

Vbi ego perij? ubi immutatus ſum? ubi ego formam perdidi?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, poſſidet.
Viuo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi;

ita interpretantur, ut explicationem ab ipſo Plauto petant Moſtel. actu I I. I.

Ludos ego hodie, præſenti hic ſeni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.

Ludos ſcilicet funebres gladiatorios, in illuſtrium virorum funeribus, fieri conſueuiſſe, illoque Soſiam alludere, fieri ipſi ludos viuo, quos nemo facturus ſit mortuo. Verum non ad hos ludos alludit Soſia, ſed ad imagines, quæ in funere nobilium ferebantur. Mercurius Soſiæ imaginem poſſidebat, & ferebat, quam nemo laturus erat in eius funere.

Scena autem tertia. Iuppiter in faciem Amphitruonis verſus, poſtquam Alcumenæ illuſit, propere diſcedens, quod tam ſubito abiret, conquerenti, ſic blanditur.

Satin' habes, ſi fœminarum nulla 'ſt, quam æque diligam?

ME. *Edepol, ne illa, ſi iſtis rebus, te ſciat operam dare*
Ego faxim, te Amphitruonem eſſe malis, quam Iouem.

Hunc ſenſum eſſe autumant. Si te Alcumena norit, ita profecto te accipiet, ut ſimulationis huius pœniteat, ac malis Iupiter manſiſſe, quam falſus Amphitruo veniſſe. Contraria plane ſententia. Ait enim Mercurius, ut te Amphitruonem eſſe malis, quam Iouem. Sed

Mer-

Digitized by Google

Mercurius Iunonem intelligit, quæ ſi mariti ſicophantiam deprehendiſſet, ita eum exceptura erat, ut mallet eſſe Amphitruo, quam Iuppiter, quo ſe iratæ coniugis iurgiis ſubduceret. Quid enim ab Alcumena deprehenſus Iuppiter, timere poterat? Si Iuno te ſciat his rebus operam dare, hoc eſt, thori fidem violare, malis quilibet alius eſſe, quam Iuppiter.

Eiuſdem actus Scena II. Amphitruo cum Alcumena iurgans, eamque probri inſimulans ait *Perij miſer*

Quia pudicitiæ huius vitium, me hic abſente eſt additum.

ALC. *Obſecro, ecaſtor, cur iſtuc, mi vir, ex ted' audio?*

AM. *Vir ego tuus ſim? ne me appella falſa, falſo nomine.*

SO. *Hæret hæc res: ſi quidem hæc iam mulier facta eſt ex viro.*

Hoc ita explicat Salmaſius in Plautina editione Boxhornii. Cum Amphitruo diceret, non eſſe ſe virum Alcumenæ,& nollet, iſto nomine ab illa appellari: ſubiicit ſervus, rem hanc hærere: ſi quidem Alcumena virum iam perdidit: cum Amphitruo talem ſe ab illa appellari nollet, atque eius eſſe virum inficias iret. Verum quomodo mulier, quæ virum perdidit, facta eſt mulier ex viro? Mirum eſt, nulli in mentem veniſſe, corruptum locum eſſe, & facili negotio reſtitui poſſe, ſi legamus

SO. *Hæret hæc res: ſi quidem hic iam, mulier factu' eſt ex viro.*

Vernilis plane iocus, & Soſia dignus. Negabat Amphitruo ſe eſſe virum, ideſt Alcumenæ maritum. *Ne me appella falſa, falſo nomine.* Alio traxit ſervus argutans, quaſi negaret ſimpliciter ſe eſſe virum, ex quo ſequebatur; *factum eſſe mulierem ex viro.*

Idem ſummus vir verba illa actu III. ſc. 2. fruſtra ſollicitat, & invertit.

AL. *Aut ſatisfaciat mihi: atque adiuret inſuper*
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

IVP. *Faciundum eſt mihi illud, fieri quod illæc poſtulat*
Quando ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit,
Atque ille dudum meus amor negotium
Inſonti exhibuit: nunc autem inſonti mihi
Illius ira in hunc, & maledicta expetent.

Nam *ſonti* legendum cenſet, & ultimum verſum ſic corrigit.

Illius ira, ne in hanc, & maledicta expetant.

& explicat, Inſonti Amphitruoni meus amor negotium exhibuit,

nunc

Digitized by Google

nunc autem, & mihi ſonti, dum nimirum curare debet & facere, ne illius Amphitruonis ira, & maledicta, in hanc eius uxorem expetant. Sed nihil opus mutatione eſt, & *inſonti* recte ſe habet. Sententia enim eſt, quando amor in Alcumenam, & clandeſtina conſuetio, inſonti Amphitruoni negotium exhibuerit, ſibi pariter inſonti, Alcumenæ iram, & maledicta ſubeunda eſſe. Inſonti quidem, quia eam probri non inſimulauerat, neque diuortium dixerat, propter quæ irata Alcumena Amphitruoni erat. Ad eam ergo placandam, licet iurgii inſons, præparat ſe, ad iram erumpentem, & conuicia perferenda, quæ in maritum effundere Alcumena deſtinabat. Hoc indicat. *Inſonti mihi illius ira in hunc* (Amphitruonem) *& maledicta expetent*. Ego illius vicem, hanc conuiciorum procellam ſubibo. Quæ autem conuicia? A L. *Inimicos ſemper oſaſum obtinerier*. *Si ſis ſanus*: *ſtultior ſtultiſſimo*. *Valeas*, *tibi habeas res tuas*, *reddas meas*.

Aſinaria Actu III. Sc. I. Cleæreta increpat filiam, quod inopem amatorem amaret, atque ad ſe arceſſeret: ad extremum ſic colligit.

Nunc adeo niſi mihi, huc argenti affert viginti minas,
Ne ille ecaſtor, hinc trudetur, largus lacrumarum foras.
Hic dies ſummu'ſt apud me inopiæ excuſatio.

Senſus eſt, inquit Taubmannus; Qui negat ſe nobis quicquam dare poſſe, propter inopiam, is mihi quodammodo mortem denunciat. Sed *ſummus dies* eſt ultimus, *venit ſumma dies*. Niſi affert viginti minas, extrudetur, atque hic ultimus dies erit, quo ille inopiam excuſet. Non patiar poſt hac largum lacrimarum, & promiſſorum, ad nos accedere, ultra hunc diem.

Scena II.

Inductoreſque acerrimos, gnaroſque noſtri tergi.

Palmerius *inauctores* legit, pro *ductoribus*: quod exercitum ulmorum, in terga, & ſcapulas inducerent. Si fas eſſet, legerem, *Virgatoreſque acerrimos*. Nam paulo poſt ſequitur

Vbi ſæpe cauſam dixeris, pendens aduerſus octo.
Aſtutos, audaces viros, valentis virgatores:

Sed ſine veteris Codicis ope, id non auſim. Sane durum videtur, indoctor, pro doctus, ſiue gnarus.

Intra, ait Argirippus ad ſeruum.

Quid nunc? quid eſt? quin tradis huc cruminam, herum preſſatũ?

Corrigunt, vel *preſſuram herum*, vel *Ipra, ante herum*. Quæ ſunt inepta. Alii *are preſſatam*. Rectum eſt, *preſſatum herum*, hoc eſt, ad preſſandum, ſiue onerandum herum, qui libenter hoc onere grauabitur. Servus poſtulat, crumenam peti ab amica, & ait

Nam iſtuc procline eſt, quod iubes, plane collocare.

Nam ſupra herus dixerat

Hic pone, hic iſtam colloca cruminam, in collo plane.

Procline, eſt facile, *plane, in collo collocare*, non tuo, ſed amicæ.

Idem ſervus, non alia ratione, ſe crumenam daturum, infra profitetur, quam ſi ab hero, equitantium more, vehatur. Durum hoc illi videtur, & indecorum: Animum tamen inducit, ut id perferat, & ait *Inſcende*, quadrupedum more corpus inclinans: tunc ſervus.

Sic iſti ſolent ſuperbi ſubdomari.

Aſta igitur, ut conſuetus es puer olim: ſcin' ut dicam?

Genus libidinis intelligi, exiſtimat Palmerius, quod apud Martialem. *Hectoreo quoties ſederat uxor equo.* Nihil ad rem, multo minus illud Petronij, *Nunquam niſi in equeſtribus ſedeo.* Superba enim illa ancilla negabat, ſeruos amore ſuo dignari, ſed tantum equitibus copiam facere. Colerus nihil obſcęni ineſſe ſuſpicatur: ſed velle ſervum, ut herus quadrupes fieret, quomodo pueri ludere ſolent. Atqui illud, *ſcin' ut dicam?* turpe aliquid ſubeſſe indicat. *Aſta in eum morem, quo olim puer ſolebas.* Hoc eſt, te cernuum facito, ſiue ut tunc loquebantur, Conquiniſce. Idem Ciſtellaria Act. IV. Sc. I.

Sed quid hoc eſt, hac quod ciſtella hic iacet,
Cum crepundijs? nec quenquam conſpicor alium in via?
Faciundum eſt puerile officium: conquiniſcam ad ciſtulam.

Lambinus. Inclinabor, ut ventrem leuem, ſiue exonerem. Id enim eſſe conquiniſcere, teſte Nonio. Verum ſi inclinare ſe, ſiue cernuum facere, eſſet ventris ſaturitatem eiicere, non eſſet tantum puerorum officium, ſed etiã virorum. Sed aliquid fędius latet, nec neceſſarium, ſed turpe officium in illa corporis inclinatione intelligitur, quod expreſſit Salmaſius ad eum Plauti locum. Alterum autem in Pſeudolo, de eadem re interpretatur, *Si conquiniſcet iſtic, conquiniſcito.* Reponit, *ceueto*, & contra veterum codicum fidem, & contra poetæ ſententiam. Nihil enim ibi turpe latet, ſed ſimpliciter conquiniſcere, eſt corpus inclinare, ad aliquod humi tollendum. Verba

enim

enim ſunt Ballionis, monentis puerum, ut coqui furaciſſimas manus obſeruaret.

Si iſte ibit, ito: ſtabit, aſtato ſimul:
Si conquiniſcet iſtic, conquiniſcito.
Quicquid ille fecerit, & tu facito.

Stabit, ſtato, conquiniſcet, te approna, ſiue cernuluma corpus facito. Honeſta ſunt omnia. Plura addere pudet.

Cum ab altero ſeruo xx minas poſtularet Argyrippus, reſpondet ille

Dabuntur: animo ſis bono face: optata contingent.

Lipſius paratum ſe eſſe profitetur, dare pignus in omnes fortunas ſuas, Plautum ſcripſiſſe. *Faciem, ex optata contingent:* pro faciam, ut veteres dixerunt, quemadmodum & *dicem*, teſte Quintiliano. Sed metuo, ne pignore mulctetur. Nam face, eſt fac, ut ſæpe apud eundem occurrit. Fac bono animo ſis, confide futura, quæ optas.

Nec epiſtola quidem ulla uſpiam ſit in ædibus
Nec cerata adeo tabula.

Douza Iconicum ex cera picturæ genus, intelligi vult. Sed nemo non videt, de tabella cerata, in qua epiſtolæ ſcribebantur, intelligendum eſſe: ne amicæ ad manus eſſet, in quo epiſtolam exararet. Paulo enim poſt repetit.

Comburas ſi velis,
Ne illi ſit cera, ubi facere poſſit literas.

Nam etſi, quod ait Douza, poterat illa tantum ceræ abradere, in qua literas perſcriberet, certe Iconicum ſimulacrum, in tabula cerata fieri non poteſt.

Quæ ſequentur corrupta ſunt.

Tecum una poſtea aque pocula potitet

Quid eſt enim una pocula potitare? Piſtorius corrigit

Tecum una poſtat, aquè pocula potitet.

Nimis à vetere ſcriptura recedens. Haud dubie leuiſſima mutatione

Tecum uno poſtea æquo poculo potitet.

Ne ſi poculum commune eſſet, conuiua haberet, quod puellæ labellis contactum oſcularetur. Vtque tolleretur propinatio, quæ ut notum eſt, libati prius leuiter poculi, traditione fiebat: ſed ut acciperet unum, atque idem ab amatore ſolum, illique uni traderet.

Abs te accipiat, (tu illi propines) *tibi propinet*, (tibi idem poculum porrigat).

Alia in Plauto emendata, & explicata. *Cap. XXVIII.*

IN Aulularia. Act. II. Sc. 4. Illud ridiculæ auaritiæ ſpecimen

Quin, cum it dormitum follem obſtringit ob gulam,
Ne quid animai forte amittat dormiens.

Sicut Douza explicat, Euclionem tam prodigioſe parcum, ac ſordidum fuiſſe, ut priuſquam cubitum iret, follem, ſiue fundam, ut Macrobius appellat, hoc eſt ſacculi genus, ex aluta confecti, ſibimet ipſe obſtringeret ob gulam ſuam, non follis. Cur enim hoc faceret miſer ille? Num ſibi gulam obſtringebat, ne animam amitteret? At hercule hoc ſemel feciſſet, ſi intercepto animæ commercio, ſpiritum reciprocare non potuiſſet. Follis hoc loco non eſt ſacculus, nec funda, quæ inde dicta, quod opere reticulato, fundæ ſimilis eſt: atque ita vel ad gulam obſtricta, mille viis aerem emiſiſſet. Sed eſt, quo ignis excitatur, & flando candeſcit. Ergo ſpurcus ille follem, cubitum petiturus, ad gulam claudebat, ſiue ſpiraculum obturabat, ne dum dormiret, aliquid animæ (quæ ventrem ſignificat) inde exiret: ſicut plorabat, ſi fumus de tigillo, erumperet.

Actu II. Sc. 9.

Tu iſtum gallum, ſi ſapis
Glabriorem reddes mihi, quam volſus ludiu' ſt.

Turnebus ait ludios, adoleſcentes fuiſſe, qui galeati, & enſiferi, Circenſibus, & Theatralibus pompis incederent, Saliis ſimiles. Sed ludius hic, eſt pantomimus, illi enim ex Etruria acciti, quæ Lydorum colonia, unde ludiones, & ludii appellati. Qui cum eſſent impudici, & in fœminam tracti, pilis ſuis infeſti, toto corpore vulſi, glabriique erant. Atque ita molles, & effœminati. Act. III. Sc. 2. *Ita fuſtibus ſum mollior magis, quam ullus cinædus*. Tales enim pantomimi. Ita Curcul. Act. I. 2.

Peſſuli, heus peſſuli,
Fite cauſa mea Lydi barbari, ſubſilite obſecro.

Alludit ad pantomimos, ſaltatores, hic dictos non a Lydis, qui inter natio-

nationes ſaltationi deditas, ſed ab Etruſcis, quæ ut diximus, Lydorum colonia, unde Romam acciti. Barbaros autem appellat Plautus in Comędia palliata. Tranſlata poſtea vox etiam ad gladiatores, qui etiam ludii dicti. Iuven. vi. *Comitata eſt Hippia ludum*, ideſt ludium. Et infra ipſa Hippia *ludia*, eidem dicitur, gladiatoris amica. Et Sat. xi. *Sic veniunt ad miſcellanea ludi*. Quod vetus Interpres ſic explicat. *Cum non habeant, unde manducent, diſtrahunt ſe ad ludum* (gladiatorium) *miſcellanea genus miſerabile ferculi: cibus gladiatorum, ideſt ultima cœna. Ideo miſcellanea, quia omnia, quæ apponuntur, eis miſcent, & ſic manducant.* Sed huius moris miſcendi ſupremos illos ferales cibos, nullus præter illum Scholiaſtem, meminit.

Actus iv. Scena nona

Qui veſtitu, & creta occultant ſeſe, atq; ſedent, quaſi ſint frugi. Lipſius cenſet, dici in homines tenuiores, quibus cum copia mutandæ togæ non eſſet, tamen, ut nitidi, & melioris fortunæ apparerent, ſub dies ludorum, togulam ſuam incretabant. Verum creta togæ, nonniſi à candidatis addebatur, unde ipſa nomen inuenit. Scio, etiam eluendis veſtibus cretam adhibitam, ſed hoc erat togis omnibus commune. Niſi intelligamus, quia lauandis veſtimentis cretæ uſus eſſet, recenter lotas, ab his ſumptas eſſe. Sed neſcio quo pacto ſe illi hac ratione occultarent, cum maxima pars mortalium id faceret, præcipue ludorum tempore, ac feſtis diebus. Nam quod addit, poſſe etiam referri ad ſeruos, ſecus eſt, cum nullum togæ ius mancipiis eſſet, & tunica illis cum ingenuis, communis.

Scena proxima, nemo non videt, verba in contrarium tranſpoſita eſſe.

Deos credo voluiſſe. Nam ni vellent, non fieret, ſcio.

EV. *At ego Deos credo voluiſſe, ut apud te me in neruo enicem.* Legendum enim *apud me, te in neruo enicem.* quaſi addictum, & obnoxium.

Captiuis actu, & ſcena prima ait paraſitus

Prolatis rebus paraſiti venatici
Sumus: quando res redierunt, Moloſſici
Odioſicique, & multum incommodiſtici.

Non eſſe quidem hæc latina nomina ait Lambinus, ſed à Plauto, ſub perſona paraſiti, riſus commouendi cauſa producta. Alii a ſiſ-

cando

fando, & edendo, conficta. Puto omnino legendum. *Odoriſequique, & multum comediſtici*. Perſeuerat enim in eadem canum venaticorum tranſlatione. Paraſiti prolatis rebus, ideſt hominibus ruri agentibus, erant canes venatici, ideſt graciles, ſtrigoſi, & ad quærendum cibum expediti, ut recte interpretantur. *Cum res redierant*, ideſt exactis ferijs, fiebant moloſſici, pinguiores, & ædium custodes, *Odoriſequi*, ideſt preſſo roſtro, & ſagaci nare, cœnarum veſtigia odorantes, & quod ſequitur, multum comediſtici. Memini, que cum olim hanc coniecturam Gaſp. Scioppio V. C. indicaſſem, non ſolum ab eo approbatam, ſed etiam veteris codicis auctoritate firmatam. Vtinam illius mihi copia eſſet. Fruſtra, poſtquam codicibus manu exaratis Italia ſpoliata eſt, & diſtrahentium auaritia, an neglectu, illi trans alpes abierunt. Monuit autem idem vir ſummus eiuſdem fabulæ actu III. Sc. 5.

Qui per virtutem peritat, non interit.

legendum eſſe, *perbitit*. Nam *perbitere*, veteribus eſſe, *mori*.

Scena prima actus tertij paraſiti querela eſt

Nam hercle ego huic diei, ſi liceat, oculos effodiam libens
Ita malignitate onerauit omnes mortales mihi,
Neque ieiunioſiorem, neque magis effertum fame
Vidi: nec quoi minus procedat, quicquid facere occeperit.
Itaque venter, gutturque reſident eſuriales ferias.

Lambinus ex Turnebo ait, reſidere, eſſe quieſcere, & à rebus agendis ſuperſedere. Quod feriis, & feſtis diebus licebat, hinc *reſides*. Reſidere igitur eſuriales ferias, pro eo, quod eſt, agitare ferias, quę eſuritioni dicatæ: nec aliud eſſe, quam quieſcere, & ceſſare ab edendo. Sed non eſt hæc ioci Plautini vis. In eo enim ſita eſt, quod feriis mortuorum, ſiue Denicalibus, lugentes ſedebant, ut docuit Ramireſius in Pentachon. cap. XX. Virg. Æn. IX.

Luco tunc forte parentis
Pilumni Turnus, ſacrata valle ſedebat.

Tibul. L. II. el. 3.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexq; ſedebo

Propert. III. el. 14.

Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulcrum
Ornabit cuſtos, ad mea buſta ſedens.

Cicero II. de leg. *Nec vero Denicales, quæ à nece appellatæ ſunt, quia reſide-*

reſidentur mortui. Quod & apud Hebræos in uſu fuiſſe, ibidem demonſtrat. Ioci igitur acumen in eo eſt, quod ſicut denicalibus ferijs lugentes ſedebant, ita paraſitus ait, guttur, & ventrem reſediſſe eſuriales ferias, ideſt velut in luctu, & mortualibus ferijs ſediſſe ieiunos, & diem fame effertum, deploraſſe.

Fruſtra igitur Salmaſius illud Epidici Scen. 4. actu III.

Sexaginta mihi, ſi denumerantur minæ,

Tuas poſſidebit mulier faxo ferias.

Fruſtra inquam, *poſſidebit*, mutat in, *reſidebit*. Nullus enim illi ritui, de quo dictum eſt, hic locus. Simpliciter enim ait ſenex, ſi ſibi LX minæ numerentur, futurum, ut fidicina, militis ferias poſſideat, ideſt in libertatem ab eo aſſerta, & opere ſeruili ſoluta, cum domino ferietur. Sic *dare ludum*, & *dare ferias*, metaphora à ludimagiſtris, qui Quinquatribus, & Hilaribus, pueros feriari ſinebant; neque ab ijs quotidianum penſum, ac laborem exigebant. Sic ancilla à captiuitate redempta, à patrono ferias acceptura erat, & poſſeſſura. Neque illud Ciceronis, quia reſidentur mortui, mortuis legendum eſſe credimus. Mortui enim ipſi reſidebantur, ideſt ſedendo lugebantur. Multo minus aſſentimur, ſequentem verſum corrigenti.

Atque ita profecto, ut eam ex hoc exoneres agro.

Pro agro, reponit, *ſacro*, ideſt, inquit ex ſacro lenis: cum non amplius eius reſidere deberet ferias, ſed militis, cui dabatur, ut eum coleret. Senis enim conditio erat, ut eam ex agro Attico abduceret, ne ea in Attica manente, illius amoribus filius perderetur, ut recte Interpretes monuerunt.

Curculione actu IV. I.

Qui periurum conuenire vult hominem, mitto in Comitium.

Turnebus explicat, ad puteal Libonis, idque aram fuiſſe, in quam iurari ſolebat. Nec ſine cauſa dici, periuros in Comitio eſſe, nam in Comitio, in quo ius dicebatur, fuiſſe litigioſos, & comitiales homines, qui religionem iuriſiurandi, parum colere nouerant. Verum cum in Comitio populi ſuffragio, mandarentur honores, cum petitores, & candidati prenſarent, plerique ſe illis ſuffragium laturos pollicebantur, & quidem adhibito ſacramento, & fallebant, unde periuri in Comitio. Nam puteal, non fuiſſe aram, in quam iurarent, ſed qui illud eſſet viri doctiſſimi iam demonſtrarunt.

Caſina Actu I. I.

Poſt

Poſt autem ruri, niſi acervum ederis
Aut quaſi lumbricus terram.

Salmaſius, pro aceruom, reponit *acus*, vel *acerboum*. Fortaſſis magis ad veterem ſcripturam accedet, ſi legamus, *aut eruom*, quod boum pabulum, *aut terram, ut lumbricus*. *Nam quod ad cibum humanum pertinet, ſi quidquam guſtare poſtules,*

Nunquam edepol ieiunium
Ieiunium eſt aque, atque ego ruri reddibo te.

Bacchid. act. IV. Sc. 8.

Et ego te, & illum mactamus infortunio;
Si tibi eſt machara, & nobis veruina eſt domi;
Qua quidem te faciam, ſi me irritaueris,
Confoſſiorem Soricina nania.

Salmaſius ait, *Soricinam naniam* eſſe vocem, quam emittit ſorex; quæ ſæpe ad illam vocem deprehenditur, & confoditur. Qui aliter legunt, & intelligunt, nugari. *Naniam* autem dici, quia illi eſt, pro nænia, cum plerunque necetur, in illo ipſo ſono edendo. Sed malumus nos cum Turnebo nugari, quam nænias audire. Qui Lib. XXIV. adu. cap. 11. notat, ſoricinam næniam, eſſe celebrem cantionem, ſiue fabulam, de confoſſo ſorice; omnibus tunc notam. Nam nænias funebres, quia erant ineptiarum pleniſſimæ, tranſlatas etiam ad aniles, & nutricum fabulas, notum eſt, unde & nutrices *Nene*, Italis dictæ. In una igitur earum, referebatur, ſoricem deprehenſum, mille ictibus confixum, & confoſsum fuiſse. Nam næniam, ideſt ipſam vocem, ſiue morientis muſculi ſonitum, nemo dixerit. Milite glorioſo Actu primo.

Nam ego hanc macharam mihi conſolari volo
Ne lamentetur, neue animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem,
Qua miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.

Neſcio quid impulerit nuperos correctores, ſummates in his literis viros, *ut fartum*, in *fratrem*, vel *fratres* verterint, vel etiam *factum*, ſcilicet ſanguinem. Vtque ineptijs ineptias tegant, aiunt fratres facere ex hoſtibus, eſſe hoſtes, morte pares, & fratres facere, dum omnes eodem mortis genere afficiunt. Optime enim Lambinus ex Simeone Boſio, & Mureto, *fartum facere* poſuerat. Hoc eſt, hoſtes concidere, & comminuere, περίκομμα ἐκ τῶν πολεμίων ποιῆσαι, ut lo-

quitur

quitur Ariſtophanes. Tractum à fartoribus, qui carnes, unde farcimina, iſicia, & ſimilia, inde confecturi ſunt, in minutiſſimas particulas diſſecant. *Fartum*, autem *non farctum*, ut Mureto placet, Lib. 3. Variarum 9.

Actu II. Sc. 3.

PA. *Sceledre, ſceledre.* SC. *Quis homo interminat?*
PA. *Eſt te alter audacior?*

In veteri codice interemat. Fortaſse.

Quis homo in terra eſt te audacior
Quis magis dijs inimicis natus, quam tu aut iratis?

Actu II. Sc. 6.

PA. *Ille hinc abſceſſit: ſat edepol certo ſcio*
Occiſam ſape ſapere plus multo ſuem
Cum manducatur, ne id quod vidit viderit.

Non minus ingenioſam, quam rectam Scioppij correctionem puto, ex eius ſermone familiari. *Cum inducatur*, ideſt perſuadeatur, ne id quod vidit viderit, alioquin ſententia non cohæret.

Actu III. Sc. 1.

Nam ego inueni lepidam ſycophantiam
Qui admutiletur miles uſque Caſariatus: atque uti
Huic amanti, ac Philocomaſio, hanc efficiamus copiam
Vt hic eam abducat, abeatque.

Legenda extrema verba, puto. *Vt hinc eam abducat, auehatque.* Vt infra Sc. 3.

Vt concubinam militis, meus hoſpes habeat hodie
Atque hinc Athenas auehat.

Actu IV. Sc. 3.

Py: *ecquid fortis viſa eſt?* PA. *omnia*
Vis obtinere.

Certe *viſa*, legendum eſt. Non pulcra modo, ſed alia omnia viſa eſt obtinere. Mercatore actu, & ſcena quarta.

Satis ſcitum filum mulieris: verum hercle annet hoc?

legendum *anet*, ideſt anus eſt. Filum autem mulieris, pro forma, aut lineamento. Gulielmius. *Virum hercle auet*. Salmaſius, *Abet*, pro amet. Rectius, *anet*.

Pſeudolo act. 1. 2.

AN. *Quieſco ergo.* AD. *amo te.*

lege. *Quieſce ergo, amo te.* deleto AD.

Pænulo Act. III. Sc. 2.

Pone nos recede, CO. *Fiat.* AD. *nos priores ibimus*

CO. *Faciunt ſcurræ quod conſuerunt: pone ſeſe homines locant.*

Scurræ, ſiue paraſiti, diuitum anteambulones.

Rudente Act. III. Sc. 5.

Apage: controuerſia eſt.

Apage controuerſias. rectius erit. Sicut ſcena ſequente. *Hunc qui ad carnificem traderent.* Aptius. *Truderent.*

Rudente actu IV. Sc. 7.

Mihi iſta videtur præda prædatum irier

Vt cum maiore dote abeat, quam aduenerit.

Hæc olim memini Scioppium V. C. explicaſſe. *Itur prædatum, pro itur ad prædam, cum iſta præda: ut ſcilicet capiatur ille, penes quem præda inuenta fuerit: ſic præda prædam ducit.* Cui aſſentiendum. Quicquid alij, argutentur. Neque *irier*, ſiue *iri*, ponitur pro *ire*, quod aliquibus placet.

Idem actu IV. Sc. 2.

Qui cum vis depugno facilius, quam cum fame

PA. *Non ergo iſtu.*

Corrige. *Eſto*, ideſt, edito: cum ſis tam vorax.

Trinummo Actu II. Sc. 2.

Nihil ego iſtos

Moror facetos mores, & turbidos.

Legendum videtur, *& urbicos.* Iuuen. *Vrbicus exodio riſum mouet.*

FINIS.

Digitized by Google

OCTAVII FERRARII
EPISTOLÆ.

Angelo à Nuce Roſſani Archiepiſcopo Romam.

INiuriam ſapientiæ tuæ facere viderer, ſi quæ de Senectute commentatus ſum, eo nomine tibi offerrem, ut curam eam leuarem, quæ ſenum plurimos coquit, & verſat ſub pectore fixa. Quippe qui nihil habes, in quo ſenectutem accuſes: eaque eſt animi tui moderatio, ut ante emerita ſtipendia, prudentiâ ſenex, non ignores, nemini vitam mancupio dari, omnibus uſu. Ita nullum tibi ex ſenectute vitæ odium, nec mortis votum: ſed naturæ repoſcenti obuius, paratus es, quod ſupereſt, donare Deo. Tu igitur his fruere, ut magis ſenectutem oblectes, quam ſubleues. Hæc enim ſcripta modo ſunt iis, quorum cani multorum annorum dedecora ſunt, quique mori digni fuerant, antequam naſcerentur. Quod ſi hæc non indigna iudicaueris, ad quæ diuinus ſenex Vaticani Senatus princeps reſpiciat, tunc ego veluti recoctus, reddita iuventute reuireſcam. Interim Symmachi verbis epiſtolam claudam. Fiducia ſalutis in viribus eſt. Spera conſecturos Deos, ut maneas vitæ integer in metas, quas veterum definitio dedit ſeculo. Vale & me me ama. Patauii X. Nou. MDCLXXVIII.

Chriſtophoro Vaghenſeilio V. C. Altorphium.

QVam lentum nomen tibi ſim reputans, ſi non erubeſcerem vere ferreus eſſem, & ſanguinem non haberem. Sed præſtat ſero, quam nunquam diſpungere. Et literas, & libellum tuum doctum, & laborioſum, protinus ad præſtantiſſimum Nanium miſi, ut tam eruditionis, quam humanitatis tuæ illuſtre ſpecimen extaret. Vtrumque gratiſſimum, magnæque ſibi dignationi fuiſſe teſtatus eſt Heros incomparabilis, quod vir laudatiſſimus ipſius nomen famæ commendaret, meque tibi non vulgares gratias referre iuſſit.

Diſtuleram reſponſum in id tempus, quo aliquid ex literariis me-

atramentis rependerem, ne plane inanes literæ ad te irent. Erat in manu Proluſio nouiſſima. Quæro epiſtolam tuam: eluſa diu diligentia: Vereor ne caſu, aut mala manu intercepta ſit. Dum animi anceps hæreo venit in mentem ſuſpicari, poſſe adhuc apud herum deſidere. Compello, nam & V. C. Arnoldi literas una miſeram, quibus ægre carebam. Vtriſque mihi opus eſſe ſignificaui, & credere, in tanta negotiorum mole, obliuione factum, ut intra ipſum libellum deliteſcerent: cupere me fugitiuas retrahere. Reſpondit omnem in perquirendo diligentiam fruſtra fuiſſe, & credere remiſſas.

Ergo illæ aut in incilibus hæſerunt, aut nitore, & cultu virorum ſummum ceperunt, ut ſubtrahi ſibi nollet, aliis magnorum ingeniorum monumentis, quæ ille religioſe cuſtodiebat, additurus.

Officium meum fuerat, ſubducto reſpondendi argumento, ſaltem cunctationis cauſam afferre, & negligentiæ culpa me exſoluere. In eo peccatum deprecor, cui illud optandum fuit, ut in quo accuſandus fueram, id demum in decus tuum verteret. Ceterum de re propoſita, vetus quæſtio eſt, & ſtudio partium obſcurior reddita. Quid ſuper ea ſentiam, haud mihi tutum exponere. Tibi utcumque publica res multum debet, plurimum literæ omnes, ac diſciplinæ, ego me tibi totum. Vale & me ama.

Chriſtophoro Arnoldo V. C. Norimbergam.

Diuturni, ac prope ruſtici ſilentii mei cauſas clementer accipe. Quum mihi literæ tuæ optatiſſimæ redditæ ſunt, una etiam à præſtantiſſimo Vaghenſeilio accepi, cum libello, in quo vetus illa, & controuerſa Hiſtoria de Domitio ad calculos reuocatur. Vtraque ad Nanium Senatus lumen clariſſimum miſi: literas etiam tuas adieci: tum quia dignæ erant, quæ non à me ſolo legerentur, tum ut vir ille ſapientiſſimus, atque ingeniorum æſtimator, & fautor unicus intelligeret, te in Germania doctrinarum lucem alteram eſſe. Interim quæ mea ſupinitas eſt, opperiebar tempus, quo reſponſum aliquo literario munuſculo comitatum remitterem. Commodum ſeſe obtulit occaſio, ut quæ ſtudiorum auſpiciis proluſeram, ad te pro ſtrena paupere, atque arida commearent.

Literas tuas perquiro, ut ſingulis capitibus ordine ſatis facerem, nuſ-

Digitized by Google

nuſquam illæ ſeſe offerunt, quanquam ea cura cuſtodiantur, quæ res eximiæ, & acceptæ coluntur. Scrinia ſubuerto, libellorum faſces excutio, fruſtra mihi quæſitus Hylas, non à Nymphis raptus, ſed apud Apollinem liberali cuſtodia ſeruabatur. Non quidem, ut ego exiſtimo obliuione officii, apud ſummas imperii curas, & mille occupationes: ſed quod amœnitate ingenii tui captus Męcenas, pignus illud debere malebat. Quod tibi longe honorificum. Cum tempus reſpondendi inſtaret, perfricui frontem, & molli brachio compellans, rogaui, ut ſi literæ forte intra libellum laterent, poſtliminium permittere non grauaretur. Retulit ille credere ſe una cum Vaghenſeilii literis rediiſſe. Neque ultra tendere auſus ſum.

Sed inurbanitas mea, ſi in alium incidiſſet, vix excuſanda videretur, quod tandiu purgare me diſtulerim, & defenſionem ſilentio corruperim. Plura addere humanitas tua vetat. Illud vere diſcrucior, periiſſe mihi hoc caſu carmen tuum elegans, & doctum, quo Origines Italicæ linguæ condecorare voluiſti, quibus nullum illuſtrius veſtibulum præſtrui poterat. Et quanquam ille hoc lumine deſtitutæ prodierint, rogo te, & per ſanctum amicitiæ fœdus obteſtor, ut novum exemplar tranſmittas, quo in ſinu perfrui, & gloriari poſſim.

Memini veluti per caliginem quæſitum à te, quid de argumento N. ſentirem: nempe idem quod tu, amicum noſtrum auide credidiſſe. Ceterum operibus quæ apud vos excuduntur, aut inſtantis fœturæ ſunt, fruendi vix ulla ſpes ſupereſt, tum propter affectam ætatem, tum quia raro admodum huiuſmodi merces ad nos commeant. Interim faueo clariſsimis ingenijs, & profuturo poſteris labori. Tu perge eandem Spartam ornare, nomenque tuum ultra anni Soliſque vias extendere, & Vale.

Chriſtophoro Vaghenſeilio. V. C.

SIne te V.C. per genium tuum, illamque facilitatem, toties mihi perſpectam, & cognitam exorari, ut diuturnum, & contumax ſilentium, æqui boníque conſulas: Nam etiam ſi id inertia, atque officii negligentia contigiſſet, haud vana tamen ſpes eſſet, te veteri amico impetrabilem fore. Sed toto illo ſpatio, quam longum eſt, animi, & corporis angoribus vexatus, ac diſtractus ſum, ut penè

me

me vitæ odium ceperit, ſi tamen illa vita dicenda eſt, non pœna. Lecto magnam partem affixus, acerbiſsimis iſchiadicis doloribus tortus, & aliis ſubinde languoribus, quos ſecum mala ætas gregatim adducit, prope extremis admotus.

Per graſſantis valetudinis breues inducias, cultiſsimis literis tuis pauca reponam. Illud ante omnia mirifice exhilaratum me imaginis tuæ aſpectu iucundiſſimo, quam inter cubiculares illico appendi, ut eius perpetuo contuitu, redirem in memoriam veterum tuorum officiorum, & ſingularis humanitatis qua me tibi totum deuinxiſti. Cui imagini illud Taciti de ſocero adſcripſi. Bonum virum facile crederes, magnum libenter.

Verum alteram animi imaginem, in ſcriptis tuis ſpirantem, tandiu duraturam, quandiu literis honos conſtabit, mente veneror, tibique, ac Germaniæ, tantum decus gratulor. Ceterum quod Proluſiones meas aſpectu dignaris, multum tibi debeo: ſed quod ais aliqua te ab ijs mutuari, an neſcis, nudum hominem, ne à decem quidem palæſtritis ſpoliari poſſe, fruſtraque à mendico ſtipem poſtulari? Poſtremas tibi redditas non eſſe, ægre fere. Quanquam leue damnum, & quod ſuppleri poſſit, ſi quæ deſit, indicaueris.

Sed ecce fulmen, & malorum meorum extremum. Baptiſta Nanius nuper terras deſtituit, ſimul literas, ac diſciplinas orbas reliquit. Quantum inde detrimenti Veneta res, præcipue ſtudia bonarum artium ceperint, nulla vox exprimere poteſt. Neque tu calamitatis expers, quem Heros ille magniſaciebat, quique humanitati tuæ haud leuiter obſtrictum, mihi non ſemel teſtatus eſt. Hæc ſcribenti lacrimas, quæ non exaruerunt, redintegrant, ac tam cari capitis, tam illuſtris deſiderio prope exanimant. Interim leuando mœrori letiorem Cæſaris neniam, & Lalli ſoporiferos modos accipe, & Vale. Patauii XXII. Nou. MDCLXXVIII.

Chriſtophoro Arnoldo V. C.

IVſta non admiratio modo, ſed querela tua eſt V. C. & ipſe non uno tibi ſupplicio addictus ſum, qui binis tuis literis, tandiu reſponſum debeo. Et utinam ſola deſidia, atque oſcitantia à me peccatum eſſet. Non enim deſperarem, me tuæ humanitati, ſolo pudore,

re,

re, atque errati confeſſione poſſe ſatisfacere: cum alias pariter diu in ære tuo fuerim, & te propitio tardum nomen expunxerim. Sed annis, ac morbis obſitus, & tantum non numero viuentium exemptus, viuentium, ac valentium officia, ſolis votis percolere potui.

Ita eſt, acerbiſſimis artuum cruciatibus, toto hoc tempore vexatus, inutile pondus mihi, literis, atque amicis fui, & penè ſtudia affecto corpuſculo inimica damnare cępi: diuturni iuſtitii cauſam, vel iniquis approbaturus, nedum amiciſſimo tibi, eaque humanitate prædito, quæ non ſolum veniam polliceatur, ſed familiarium calamitatibus ingemiſcat.

Sed me priores tuæ ſui officii, molli brachio admonent: itaque illuc præuortar, & me carmen gratulatorium ad Origines linguæ Italicæ, in quo humanitas cum eruditione decertat, accepiſſe fateor, utique gratius, quod filii tui adoleſcentis optimi, & ad paternum fulgorem, non æquis paſſibus contendentis manu deſcriptum erat. Ceterum nullam Furerorum mentionem apud ſcriptores noſtros repperi, & Sanſouinum in primis excuſſi. Sicut tuam, & Cl. Vaghenſeilij parentationem adhuc deſidero.

Paulo ante quam hæc ſcriberem Baptiſta Nanius, mearum grāde decus, columenque rerum, idemque literarum, ac ſtudiorum fautor beneficentiſſimus, humanis rebus exemptus, Cęlo redditus eſt, inexpiabili publicæ rei detrimento, atque ingenti bonorum omnium, ſed mei præcipue, cum vita duraturo luctu. De cuius Hiſtoria, ac de Plutarchi gaza, quid tu perſcribas, nunquam aſſequi potui.

Narrationem de Domitio, ſatius eſt omittere, cum tot illa motus, nondum plane ſedatos excitauerit. In qua refutanda, nil tu præter inuidiam apud homines noſtros lucrari poteris. Nec tutum mihi puto, aut decorum, ea quæ de pictura poſtulas ad te tranſmittere.

Venio ad alteras tuas, ingentis facilitatis indices, qua, cum nondum ex hac ſtatua, reſponſum exſculpere potuiſſes, & ſilentio conuicium facere poſſes, nouo ſermone eum compellare dignatus es. Doctiſſimo Verſio, quod Proluſionem meam, exiguum meæ in nobiliſſimam gentem venerationis monumentum, in lucem extraxerit, totque beneuolentiæ honeſtamentis inſignitam, Germanico candore, velut in bono lumine collocarit, me plurimum debere fa-

teor,

ſeor, tam prolixæ voluntati, omni ſtudio, atque obſequio reſponſurus. Tela etiam innocua, & ſalutaria Vaghenſeilii accepi, cui pariter multorum menſium creditori, non ab argentario, ſed ab eius aurea facilitate, reſcribo.

Quid rerum agam ſcire cupis? mortem quotidie meditor, vaſa colligo, & ut reliquiæ vigiliarum, auidas eius manus effugiant, duos Electorum libros typographo nuper tradidi, alios ſubinde daturus, ſi tantiſper cum valetudine in gratiam rediero, ut quæ affecta ſunt, perficere queam.

Veiſij libros de argutis Inſcriptionibus, nondum ad nos peruenerunt, & eſt magna, ut alias queſtus ſum hic bonorum librorum inopia. Iſte Auditor, hactenus mihi inauditus eſt, neque eius Genethliaca Inſcriptio viſa. De quo ille in Epicriſi loquatur, nec ſcio, nec admodum ſcire cupio. Quale eius iudicium ſit, qui in illa Satyra Iuglarem, & Theſaurum, in hoc ſcriptionis genere Deos facit, iudicent ſani homines. Habebis hic neniam noſtram, eiuſdem argumenti: tu baccare frontem, ne vati noceat mala lingua futuro. Vale & me amare perge. Patauii XXII. Nou. MDCLXXVIII.

Felici Donato V. C.

Recte factum eſt à te V. C. quod floridæ ætatis Ver, florentis Orationis coloribus pinxiſti. Nollem tamen hoc in inuidiam ſenectutis factum eſſe, quam tu libere nimis malorum omniũ theſaurum proſcripſiſti. Ego quidem ſenectutis conuiciis ſenectutem meam oblecto: nec me pœnitet, tandiu vixiſſe. Sicut publicam rem nunquam pœnitebit, tot proceres grandæuos, imperij Seniores, dies, noctesque excubare, ne Veneta res unquam conſeneſcat. Cum vetus poeta, Romanam exitio proximam miſeratus ſit, quod prouenirent noui Oratores, ſtulti adoleſcentuli. Nollem factum. Ne cum ſenectuti nuſquam terrarum honoratior locus fuerit, quam Lacedæmone, & Venetiis, hæc ſcenæ gaudentis opprobriis ludibrium ſubeat.

Hæc pro noſtra amicitia te neſcire nolui. Ceterum me humanitati tuæ plurimum debere fateor, quod eas laudes in me contuleris, quas ſi agnoſcerem ſenex depontanus, obiectis ſenectutis criminibus abſoluerer. Illud ſpondere poſſum, etiam ſi omnia in me

con-

conſenuerint, grati animi ſenſum perpetuo vireſcere, nullumque ius in illum prædantes annos habere. Ita tu eoſdem properantes, fugamque mobilis æui ſufflaminare poſſes. Non enim te tam tibi vilem exiſtimo, ut occupare fati diem velis, ne putri ſenecta contabeſcas. Quare Deum veneror, ut quam ſenectutem faſtidis, tibi viridem, & tot malorum immunem largiatur; tuque eam molliter feras, atque hec viuacitatis beneficio, ſuperis non inuiſum intelligas, Tum tu FELIX, tum tu ingenti munere DONATVS eris. Vale diu, & ſalue. Patau. die XI. Decemb. MDCLXXVIII.

Hieronymo Teſtorio Benedictino Sacrarum literarum Interpreti.

PRæfatiunculam Studiorum auſpiciis præmiſſam nolui diutius tibi debere, V. C. qui non faſtidis adamici qualiacunque literaria meditamenta eruditos oculos interdum deflectere, & quadam beneuolentiæ intemperantia, profuſis laudibus attollere. Etiam poſtquam te Venetus Senatus ingeniorum æſtimator beneficentiſſimus, ſacrarum literarum Oraculis, quadam diuinitatis ſocietate explicandis, in ſuo Athenæo præfecit, ac veluti fatorum tripodes, & Delphicam nobiliorem cortinam, virtuti tuæ commendauit. Vbi tu tanto muneri haud impar, ſacra effata, non incomptus, & horridus, ſed ſine fuco elegans, ſine phaleris ornatus, multa interiorum literarum amœnitate, denſæ coronæ ita enuncias, ut neque argumenti grauitas ambitioſe laſciuiat, neque arida, & ieiuna oratione obſoleſcat. Sic olim Oracula loquebantur. Niſi quod iſta, neque flexiloqua ſunt, neque ambagibus contorta. Magna te expectatio præceſſerat, maior viſus es. Et adhuc in ſtadii limine verſaris. Cuius quidem gratulationis, non ultima portio in me redundat, qui omne ſtudium, atque operam impendi, ut virtus tua licet ſatis cognita, & perſpecta eſſet, apud Venetos proceres magis inclareſceret, & quantum potui priuata ſuffragatione contendi, ne diutius intra ſeptorum parietes deliteſceret: ſed ex umbraculis ſolitudinis, in ſolem, ac puluerem educta, idoneum futuræ gloriæ curriculum nanciſceretur. Hoc ſummæ ampliſſimorum moderatorum prouidentiæ, ſuper cetera beneficia Gymnaſium debet, quod Academiam, ſex præſtantiſſimis profeſſoribus, eodem

Dd tem-

tempore, veluti quodam turbine, inexpiabili clade ereptis, orbitam, ac ſpoliatam, nouo ſupplemento, nouaque fætura recreauerint: ijs ſuffectis, qui triſte tantorum virorum deſiderium lenirent. *Vno auulſo non deficit alter, Aureus & ſimili frondeſcit ſilua metallo.* Te quoque principibus Achiuis permixtum, non eſt quod unquam Academiam, aut ſtudiorum inſpectores pœniteat. Fruere igitur grauiſſimo Heroum iudicio, teque iuvenum ſtudia æmulantium cętui diu fruendum præbe. Mihi decurſo iam ſpatio, inter plauſores tuos ſedere, decus, & ſolatium futurum eſt. Vale.

Præfatio.

INeuntis anni literarij auſpicijs, non ſemel hoc in loco proluſimus. Hoc eſt per beata Muſarum vireta, non intempeſtiuis amœnitatibus ſpatiati ſumus: Rhetorum arculas, ac myrothecia excuſſimus, nouaque & audientibus blanda ſectati, mentes, animoſque demulcere conati ſumus.

Nimirum iuventus operum ſoluta, diuque feriata, hiſce oblectamentis allicienda erat, ne reddita Gymnaſio, triſti diſciplinarum aſpectu exhorreſceret, atque in ipſo limine odiſſe ſtudia inciperet, ac veluti in conuiuio, ad plebeias epulas nauſearet: ſed acri nidore excitata, in nouos morſus reficeretur.

Hoc donec ætas tulit, quotannis præſtitimus; cumque laborem neque ingratum, neque irritum fuiſſe, veſtra ingenti humanitate intelleximus. Etiam poſtquam prouecto longius æuo, labare vires, nec ita bona fidei memoria eſſe cæpit, vtcumque muneri ſuffecimus. Haud pœnitendo huius exercitationis pretio, quod prope ſeneſcentes politiores literas excitauimus, & paulatim ad antiquum nitorem reuocantes, earum ſtudium, non in adoleſcentibus modo, ſed abſit dicto inuidia, etiam in viris accendimus.

Cum iam nemo novus ad docendum accedat, hancque palæſtram ingrediatur, quin prius ad Rhetorum officinam deflectat, atque auſpicalem orationem, comptius excultam, calamiſtris inurens, floſculoſque omnes, ac verborum pompam captans, nitidiuſcula proluſione, auribus talium auidis, veluti quaſdam inſidias faciat.

Etiam qui horridas illas, & ſeueriores diſciplinas tradituri lite-

rulas

rulas noſtras, tanquam infra ſcientiarum maieſtatem deiectas, cum ſupercilio deſpiciunt, eaſdem cupide, & intemperanter ſectantur, & ut Homerici proci, relicta Penelope, ancillas depereunt: & aut domeſtico ornatu incedunt, aut conducta à chorago aurata veſte ſe traducunt.

At me iam non vergens, ſed præceps ſenectus triſtis, & imperioſa, & pertinax valetudo, neque ludere amplius, neque proludere, neque ludum frequentare patitur. Proinde poſthac, partes oblectandi nouis hiſce Rhetorum manipulis relinquam, docere contentus, quantum æuifugientis mihi fata permiſerint. Interim, properas quorundam ſpes, & Libitinæ vota, diutius fruſtratus, hiantes coruos, non proludendo eludam.

INSCRIPTIONES.

Deiparæ Virgini.

Hoc publicæ Salutis ſacrarium ac monumentum peſtilentia Italiam populante Vrbeq; funeribus exhauſta Senatus vouit eiuſq; præſenti Numine impetrata cœleſtium irarum venia humani generis Soſpitatrici libens merito votum ſoluit

ANNO MDCLXXVIII.

Digitized by Google

NENIA IOSEPHI CÆSARIS NATALI SACRA.

Novum ſydus
Caliganti Mundo exortum
Trepida formidine terras ſoluit,
Nouaque progenies Cœlo demiſsa
Orbitatis metum diſcuſſit,
Quo Chriſtianus Orbis ictus
Extrema rerum attonitus perhorreſcebat.
Gente quæ Cœlites recepit, & fecit
Numeroſo Heroum partu laſſata
Ac prope effœta.
Abeant queſtus, diſcedat timor;
Auguſta propago,
Vnicum nutantis domus columen,
Vnum rebus dubiis lumen
Præſidiumque afflictæ Regiæ,
Fortunæ pudorem abſoluit,
Cuius crimen eſt
Quod poſt vota venit,
Anxia vota,
Et per lentæ ſpei tormentum
Propè decepta.
Sollicitum tanti natalis pretium;
Semperque magno conſtans
Naſci Cæſarem.
Nos Imperii Palilia
Primigenia ſacra
Seculi ſpem celebramus;
Superiſque Imperii auctoribus

Digitized by Google

Sobolem à ſtirpe reuiuiſcentem;
Gaudii fidem iteraturi
Commendamus,
Fatiſque ſcribendis Faſtos euoluimus,
Certa Numinis deſtinatione
Perennaturam progeniem,
Cui Cœlum omne vacat
Cui humani generis ſalus
Et religionis tutela innixa eſt;
Intra cuius ditionem
Sol oritur, & cadit,
Qua ſoſpite
Propitia terris Numina credimus:
Agnoſcimus in infante Cæſarem
In Cæſare Deum
A quo penè ſero datus eſt:
Orienti Soli procumbimus,
Quem ſumma Cœli tenentem
Orbis uterque adorabit.
Interim non munuſcula, & pupas,
Sed auitas tot Regum & Cæſarum imagines
Puluinari; ac thenſæ circumfundimus,
Vt eadem veſtigia ingreſſum
Fulgore conſiliorum & operum
Irradient, neque inumbrent:
Ac tacite moneant
Quibus ille nominibus prematur
Quot excitetur trophæis.
Magne Puer
Non tibi, ſed toti Mundo genite,
Rector eius rerumque dominus future,
Incipe riſu parentem agnoſcere,
Cuius ſereno aſpectu
Cœlum, telluſque, & maria
Diffuſo lumine rident.
A brachiis, dulce onus, pende,
Quibus ille diuiſo cum Superis Imperio

Nutia-

Digitized by Google

Nutantia Orbis fata librat;
Illius os oſculis appete,
Cuius veſtigiis
Supplices populi oſcula figunt:
Teneris lacertis ceruicem iunge,
Quæ mundi molem immota ſuſtinet;
Allude dexteræ,
Quæ ſtridentia Iani clauſtra
Reſerat, & claudit:
Cuius excuſſis telis
Scythica rabies diffidit ſibi;
Inſuſus gremio
Ad eius virtutem incaleſce
Et patrem proba,
Qui ſe non tam Imperatorem, & Cæſarem;
Quam patrem gentibus præſtat,
Pro inuolucris infantiæ
Sit Diadema
Titubantes greſſus ſceptrum regat;
Solium, vel, ut olim Herculi, clypeus
Incunabula ſternat:
Gentilis purpura
Summi velamen honoris obtendat:
Aurei globi crepundiis,
Orbis Imperio prolude:
Inter arma, libroſque repta,
Hoc paternum eſt.
Lituum clangor, atque æra Corybantia
Vagitibus tuis adcinant,
Sit pro Nenia claſſicum:
Hæc de Ioue finguntur.
Sit tamen exortus tuus terris ſalutaris
Preliorum turbines, & ſcelerum noctem
Diſpellat.
Æterna bella ſileant
Quibus Chriſtiana res viribus ſuis perit;
Tuque ne vacuo Mundo regnes

Opta-

Optatæ tranquillitatis
Sis omen, & ſequeſter;
Poſtibus Auguſtis
Lauro nobilior Quercus, prætexatur:
Illa victos hoſtes
Hæc ciues ſeruatos oſtentet
Sis Felix,
Pacatumque regas patriis virtutibus Orbem.

Digitized by Google

In diſceſſu Ampliſſimi Viri Franciſci de Eſtrades A Rege Francorum ad Venetos Legati.

Dum parens bellator Fortiſsimus
Clariſsimarum victoriarum ſocius & ſequeſter
Gallica trophœa in ultimas oras extendit,
In diuerſa terrarum parte filius,
Victrici lauro pacales oleas miſcens;
Apud ſummos virorum
Regis maximi Oracula loquitur;
Et mortalium diſertiſſimos,
Facundiæ miraculo obſtupefacit:
Sic genitor & natus, ille manus, hic mens
Summæ rerum admoti
In dominum Europæ iura dantem
Pietate, ac fide decertant:
Et dum ille deuictos populos
Moderatione, ac manſuetudine demeretur:
Hic liberam ciuitatem
Generoſitate, ac ſplendore ſibi deuincit;
Regiæ munificentiæ imago, & portio,
Cum nihil habeat nec Fortuna maius
Quam ut poſſit,
Nec natura melius, quam ut velit
Prodeſſe quam plurimis.
I felix inter venerantium vota,
Quo tua te, & maiorum virtus vocat;
Et cum honorum faſtigium attigeris
Ita rem gere
Vt parens ſemper inuictus
A filio vinci non inuitus patiatur:

Fabri-

Fabricius Coloredus S. Sophiæ Demarchus.

Très Principes innoffenſo curſu per aulæ lubricum emenſus, fide, & obſequio cum eorum indulgentia decertans, & florentiſſima gratia ſemper benè vſus, omnia belli, paciſque munia ita impleuit, ut ſemper maioribus dignus viſus ſit. Claſſis Legatus, equeſtris militiæ Prior, & cataphractorum Dux, Senenſis Vrbis Rector, ſummus Aulæ, & cubiculi Præfectus, Imperiique arcanis admotus, cum ſex, & triginta legationibus ad omnes Europæ Principes Etruſcam maieſtatem circumtuliſſet, eſtructo D. Luciæ Sacello, hunc locum exuendæ mortalitati delegit. Anno MDCLXXVIII.

Michaeli Pieruccio Florentino.

Qui præſtantiſſimum ingenium ſublimibus ſtudijs excultum, cum ad Ius ciuile trãſtuliſſet, illud admodum iuvenis in Gymnaſio Piſano, dein tres, & quadraginta annos in Patauino, magna celebritate interpretatus, paucos pares, neminem ſuperiorem habuit. Idem innocens, & inturbidus, ingenuo candore, & flagrantiſſima apud magnos Principes gratia, ſeptuagenario maior decedens, immature obijſse omnibus viſus eſt, nemoque audita eius morte, aut lætatus, aut ſtatim oblitus eſt. Obijt anno MDCLXXVIII.

Raymundo Ioanni Forti.

Cui Europa ſe debet, Cæſare, magniſque Principibus per quos humanum genus viuit non ſemel à funere reuocatis, opemque artis implorantibus quæ regnantibus imperitat. Inde in artis principem congeſti certatim honores, ac diuitiæ ipſis Principibus inuidendæ, quas ille honeſtè partas, honeſtius profunderet. Quo ſoſpite rerum magna parens immortalem ſe credidit, cum ille plures de morte triumphos quam dies numeraret, quem victuris æternum ingenij monumentis mortuum nemo credet.

Hya-

Hyacintho Palumbo Neapol.

Qui in Academia Meſſanenſi inter eximios profeſſores claritatem nactus, huc ad Pontificium Ius interpretandum euocatus, ſummi Iuriſconſulti nomen impleſſet, niſi in ipſo ſtadij limine immature collapſum inuida fata Gymnaſio tantum oſtendiſſent
Franciſcus Fratris F. B. M. P.
Anno MDCLXXVIII.

Iacobus Cornelius Patricius Cretenſis.

Tota Inſula ab hoſte immaniſſimo ſub iugum miſſa, fortunis omnibus euolutus, miſeras laceri patrimonij reliquias, e patriæ rogo raptas, in hanc Vrbem tranſtulit, atque huic ſacro ſodalitio adſcriptus, quietis nunquam expertæ locum, ſibi ac matri his ſedibus optauit.
Anno MDCLXXVIII.

Ioannes Nicius.

Vetus horreum in Bibliothecam conuerſum nobiliori fruge repleuit, & collectis undique magnorum ingeniorum monumentis, nidos, & loculamenta inſtruxit, atque ornauit, animi pabulum & honeſti otij oblectamentum. Anno MDCLXV.

Othoni Groeslandio S. R. Imperij Comiti.

Qui cum Germanicum candorem, & Italicam ſolertiam ad Gymnaſij regimen attuliſſet, ita utriuſque gentis mores, ac genium miſcuit, ut comitate populares, fide, & conſtantia Italos deuinxerit, & florentiſſima apud Venetos proceres gratia, iura, atque immunitatem ſtudijs operantium egregie tutatus, utrum ſummis, & infimis acceptior, an Gymnaſio utilior fuerit, incertum reliquerit
Aſtreæ candidati B. M. P. Anno MDCLXXVIII.

FINIS.

397.028
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google